Aug. 3087

Aug. 3087.

INSVLA CRACOVIENSIS
GEMMIS SVIS
DISTINCTA
SEV

ANTISTITVM CRACOVIENSIVM
Ab ipsis Cathedræ propriæ, & Christianæ in Polonia
Fidei initijs deductorum

ELOGIA
HISTORICO-POLITICA
&
PANEGYRES LYRICÆ

In quibus potior Annalium Polonicorum epitome, Episcoporum in Ecclesiam & Patriam merita, varijs in negotijs functiones, Legationes, in Senatu & alibi res gestæ præcipuæ
COMPENDIOSE EXHIBENTVR.

Ad Christiano Politicam eruditionē
omnibus directis.

AVTHORE
P. BENEDICTO à S. IOSEPH
SCHOLARVM PIARVM
Anno Dñi 1686.

VARSAVIÆ, Typis Collegij SCHOLARVM PIARVM.

D. M.

J. E. D.



M. C. S.

I.

Iam CULMÆ CRACIq; MITRAM, iam FASCIA Regni
GEMMAM, & honoratos poſſidet iſta gradus.
Nec tamen impletur vittati circulus orbis,
Sed meritum nexum præmia plura manent.
Nempe MAŁACHOVII nata huîc eſt FASCIA ſorti,
Primò vt tunc vacuum repleat illa ſuum.
Quæ LIGAT & SOLVIT veniet cùm ſumma poteſtas,
Aût RUBER hîc ſaltem quando GALERUS erit.

II.

FASCIA barbaricos in Auis hæc ſtrinxerat hoſtes,
In Te Præſuleas nata ligare MITRAS.
Et quia Purpureum Tibi texunt fata GALERUM,
Huîc Tua, ſat comptum, VITTA, ligamen erit.

CELSISSIMO PRINCIPI
ILLVSTRISS: & REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOANNI MAŁACHOWSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI
DVCI SEVERIÆ
PATRONO COLENDISSIMO.

INFVLAM Cracouiensem Tibi offero PRINCEPS CELSISSIME. Præfidentioris quidem audaciæ eſt, eam Tibi pro donario ferre, quàm DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Regnantis judicio, meritis Tuis iam habes: ſed adhuc gaudebit illa Illuſtriſſimis tanti PRINCIPIS prenſari manibus, poſtquam literario elaborata cultu Tibi porrigitur. Pridem ego in Tui venerationem conſpiraui, cujus honori quoties Religioſa noſtra pro-

)(penſio

pensso litare debuit, felicitas hæc fuit mea, quia My-
stes adhibebar. Et erat animus in primo statim ad Ca-
thedram ingressu Tuo debitum id homagium reddere,
sed Theologica studia, & aliò per Maiorum imperia
distractus conatus, ac materiæ ipsius granditas subita-
neum non patiebantur scriptorem. Modò cùm à sub-
secíuis horis aliquantum temporis impetrare potui, li-
bens apposui manum lucubrationi, quàm Tibi PRIN-
CEPS CELSISSIME dedico. Post impensum Regibus
calamum ab Alberto INES, Reginalibus Maiestati-
bus à VESPASIANO KOCHOWSKI, etiam ego me-
um ad Cracouienses ANTISTITES conuerti, ostensu-
rus illa mihi in MALACHOVIANAM Cathedram stu-
dia & reuerentiam, quia quantùm alij thronis & Re-
gum Sceptris impenderunt laboris, tantùm ego Tuæ
INFVLÆ & Pontificio Pedo. Accedet proinde aliquid
ad MALACHOVIANAM Famam, quòd ipsa nominis
Tui magnitudine excitas ingenia, & maiestate propria
efficis, quia ferimur in literas, non tantùm cùm viuis,
sed posthumæ etiam gloriæ Tuæ æternùm vectigales.
Accedet & ad amplissimum de Cracouiæ ANTISTITI-
BVS meritum, quia propter Te potissimè eruuntur è
sepulchris: & ne inter solos manes obscuri maneant,
in gratiam Tui cum sua INFVLA illustrantur. Nec
enim sufficit in Pontificia Purpura fuisse quondam
Illustrissimos, si posteris in notitiam non veniunt.
Facile

facile ab ipsis excedantur cineribus, dum per scribentium paginas eos non constat vixisse. Elinguia satis marmora, quæ bustis extinctorum imponuntur; eloquentior orator calamus, qui tacentibus etiam sæculis vocaliùs perorat, & è medijs quoq; tenebris in lucem profert. Hinc quòd fuerint olim ANTISTITES, meritis suis & PRINCIPVM gratiæ debebunt: quod fuisse scientur, Tibi. Ego si aliqua pars accessi, totum MALACHOVII est. Humanitatis Tuæ erit PRINCEPS CELSISSIME, & in obligatum perpetuò seruum gratiæ, si operam hanc beneuolus accipies. Gratitudinis nostræ exsolutio est, cùm nemo non videat, minimam, Tuam tamen SCHOLARVM PIARVM Religionem Illustrissimo Tuo semper obligatam nomini, quam vt semel in pectoris Tui domicilium admisisti, ita nunquam dimittes. Ego verò vt omnes Scholas Pias Polonas, ita me ex illis minimum Tibi deuoueo.

CELSITUDINIS TUÆ

Deuinctissimus Cultor

BENEDICTVS à S. IOSEPH
SCHOLARVM PIARVM.

d Lectorem
ÆFATIO.

SCio idem mihi, quod scribentibus omnibus Fatum, CENSERI. Eiusmodi aliorum animaduersio in magna paruaq; ingenia se extendit. Sed abiecti animi est, ob vnicum in similibus metum in publicum non prodire. Habent & beneuoli Lectores suum humanitatis tribunal. Ego in rebus meis vt non omnia placitura spero, ita nec omnia displicitura. In conuiuiis si per partes singula fercula non probantur, vniuersa & iunctim tamen posita suam gratiam & gustum habent: ita & hîc si non vbiq; probi saporis vigor est, alicubi tamen erit. Operis rationem quod attinet: Antistitibus Cracouiensibus Elogia & Panegyres Lyricas scripsi. Non me latet Elogia rigidiùs à multis accipi, ab illis præsertim, apud quos elogium esse definit, si non assiduis acuminibus & velitantis ingenii lusibus constat. At nôris Tu bone Lector Elogia me scribere Historico-Politica. Historiæ veritas& necessitas frequentiùs Laconisantem non patiebantur: ideo ethicis & politicis sensibus indulsi, quòd aduerterē maturioribus iudiciis magìs id sapere,& fastidiri à Magnis Viris eiusmodi scriptionem, cum qua ad mythologiā continuò recurrendū: & vbi ita obscurè volans quandoq; ludit ingenium, vt ab inferis etiam Oedipus euocari debeat, qui arcana illa mētis interpretetur & explicet. In Panegyribus Lyricis scio me Pòeticam illam maiestatē non assecutum. Facilis esse malui,quàm sublimè volans. Et in hoc meruerimnè aliquam commendationē, intelligentium relinquo arbitrio. Si in aliquibus encomiasten non egi, non illico me superstites, Familiæ Satyricum iudicent. Noui ego meam in sacras Purpuras, noui in nobiles Domos reuerentiam; quòd alicubi, historiam saluando, blandiri non potui, scenæ suæ debent, quàm viuentes egêre. Scripsi enim,vt virtutes dictabant vel vitia. Bene magnus quidam Politicus: *Historia theatrum est, vbi quam in tempus gessere personam Viri principes, perpetuò sustinent. Ibi sua cuiq; virtus rependitur, sua item labes.* Pluribus non moror,si DEVS dederit vlteriorem vitam, animus non deerit ampliùs limandi. Modo quidquid est, velut tesseram habe amice Lector, & vale.

Facultas
A. R. P. GENERALIS.

ALEXIUS à Conceptione B.M.V. Cleric: Regul: Pauperum MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM PRÆPOSITUS GENERALIS.

CVm Librum, cui titulus, INFVLA CRACOVIENSIS GEMMIS SVIS distincta, à P. Benedicto à S. IOSEPH nostræ Religionis Sacerdote, duo ex Nostris, quibus commissum fuit, recognouerint, atque approbauerint: vt typis mandetur; si ijs, ad quos spectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem datum Romæ in ædibus nostris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem Die 28 Augusti Anno Dñi 1686.

ALEXIVS à Conceptione Præp: Generalis.

Ioannes Angelus à S. PHILIPPO Secretarius.

APPROBATIO
Ordinaria

JNFVLA hæc ILLVSTRISSIMORVM EPISCOPORVM Cracouienſium à me approbatur, & vt imprimi poſſit omnẽ facultatem authoritate ordinaria do Varſauiæ die trigeſ. Septembris. Anno Dñi 1686.

NICOLAVS SWIĘCICKI
Abbas Tremeſnenſis, Decanus Poſnanienſis Scholaſticus & Vicarius Generalis Varſauienſis.

PROCHORVS ITALVS



NOn Regum tantùm, quæ ſeruantur, Coronæ
Illuſtrem faciunt Cracouiam;
Tàm Nobilem Metropolim quòd conſpicuam reddat,
Pontificia quoq; habet INFVLA.
Ornandis ijs niſi aſſueta,
Quorum virtus omni encomio major,
In nonnullis Sereniſſimo etiam natali inclytus ſanguis,
Vt non immeritò Antiſtites dicantur,
Quòd non ſanctitate tantùm Officij, ſed & Maieſtate Nominis
Anteſtant Maximis.
Et hoc non vulgaris felicitatis eſt aſcendiſſe ſupra Summos.
At primus è tantis Nominibus PROCHORVS,
Qui Italus natione
Sub MIECISLAO à quærenda per gladium fama denominato,

Et GENTILITIAM, & Christi maximè attulit CRVCEM;
Accessuram facilè ad laureas heroico Nomini,
vbi CONSTANTINO didicit esse triumphalis.
Neq; in leues copias tàm palmare eductum labarum,
sed in DEOS gentiles.
Ruendum fuerat Poloniæ, si hi vlteriùs stetissent.
Illis enim nisi Imperijs promissa stabilitas
Quibus pro basi est DEVS.
Ambiguum est quidquid humano fulcro nititur,
Hoc solidum, quidquid Diuino.
Sterilescunt nimiùm Regna,
Vbi veri Numinis non est cultus.
Fecit igitur misericordiam cœlum, quia de alto prospexit:
Fecit gratiam Roma in IOANNE XIII.
Quia Ægidium Cardinalem, EPISCOPVM Tusculanum submisit,
Qui vt Gnesnæ Vilibaldum Gallum
Catenatum nimirùm è Gallijs Herculem,
Ita Gracouiæ præfecit PROCHORVM,
Alios non habentem manipulos, nisi CRVCEM;
Et hanc, in quam vecordia Idola agerentur.
Deserebant suum Iouem Aquilæ,
Postquam PROCHORVS cum Romanis accessit,
Qui majori non imminuit tonitru, quàm vbi verbo intonuit,
Tonanti similior, quàm Giganti.
Vno eloquio ciebat pugnam,
Et hoc veluti Periclis fulmine, attonita est omnis superstitio,
Poloniq; qui primò cultores, mox vltores,
Vstuarios pro Aris suis accenderunt focos:
Non aliud adolentes thymiamia, nisi incendiorũ fatales fumos:
Vt nunquàm meliùs gelidus incaluerit Septemtrio,
Quàm

Quàm à tantis æstuantium delubrorum ignibus.
Stupente magnificentiam Sarmaticam in holocaustis Orbe,
Quòd numina etiam immolaret Numini.
Vidit tunc edocta rectiùs sapere Polona gentilitas,
Quàm nullæ sibi à Dijs suis suppetiæ,
Quos armis validis aggredi non oportuerat;
Tinnulum æs vix est pulsatum,
Et statim ipso æris sonitu exanimabantur.
Pænituitq; fanatica fana extortæ à nobis reuerentiæ,
Quia Niniuitarum more, operuêre se cinere,
Dum exusta in cinerem debebant solui.
Vnde Polonia superstitioni quondàm tributaria,
CHRISTO tandem vectigalis sub PROCHORO;
Qui dùm falsis Numinibus vlteriorem stragem parat,
In ipsis hostium manubijs triumphalem efflat animam,
Anno triumphantis in Cruce DEI DCCCCLXXXVI.
Suæ verò in Cracouiensi Cathedra sanctioris Gigantomachiæ
Anno XX.

PROCHORO ITALO
ODE I.

ET Martiali quòd sinè gloria
Nomen futuris tradere sæculis
Possit Miecislaus; relatis
Admonuit Prochorus triumphis.

Dum non robusto milite bellicum
Pauit furorem; non in aheneâ
Ferri procellâ, vel volanti
Mulcibero, pluuiaq; plumbi

 spargen-

Spargente flammas spem posuit, CRVCIS
Sed pulchra nactus signa, per æmulas
Egit triumphalis Deorum
Assiduò domitor phalanges:
Et in Poloni nobile Principis
Vrsit trophæum. Vana voracibus
Idola cum flammis iêre,
Inq; suis simulacra multùm
Arsêre templis; Principe vindices
Ferente tædas, & PROCHORO suis
Instante copijs. Superbo
Quasq; Lelum Polelumq; fastu
Extorsit aras à malè credulis
Nuper Polonis; Vistula frigidis
Has sorbet vndis, & scelestis
Naufragium parat vltrò sacris.
Nec iam cruentis iungere prælijs
Audet ministram Iupiter alitem;
Aut Mars paludatus rapaces
Ferre lupos, olidumq; Bacchus
Monstrare caprum. Subsidiarijs
Non ipse notus viribus Hercules
Assumit audacem Leonem;
Quando Gigas melior timendis
Infestat armis, & trepido satis
Insistit hosti. Thessalus impigram
Non Pelion, vel Ossa dextram
Frondiferis lapidosa saxis
Implet, sed imis è penetralibus
Educta virtus, & sibi conscia

Vbiq;

Vbiq; mens, quod Christianæ
Solus amor fidei decoras
Tractare pugnas suaserit; & graue
In fæda ferrum mittere turpium
Delubra Numinum. Polono
Quæ vt medijs malè culta syluis;
Evulsa syluis sic medijs bene:
Et deuoranti tradita pabulum
Insigne Vulcano. Comato
Suppetias neq; visa Phœbo
Adferre Cynthus: non Rhodope suum
Tutata Martem: non Venerem Paphus,
Natalis aut Delos Dianam:
Non Phrygias Berecynthus inter
Illustris vrbes auxiliaribus
Matri Deorum venerat ausibus,
Samosq; Iunoni: vel ipsâ
Vsq; Samo melior Quirinis
Carthago bellis inclyta: non Ioui
Manus trisulci batula fulminis
Vel Creta succurrit: stupendo
Vna Deos sepeliuit omnes
Ruina casu. Læta perennibus
At Fama filis nomen in vltimos
Extendit annales: futuris
At PROCHORVM *manifestat annis*
Vocalis echo, tanta quòd horridi
Portenta Ditis tam facili manu
Prostrauit, & victor venustos
Quòd Lechiæ peperit triumphos.

PROCVLPHVS ITALVS



ACtis in Prochori Crucem fanaticis Dijs,
Secundas vindicias meditatur Proculphus.
Vt ſi aliquæ ſuperſint reliquiæ hoſtium,
Ad COLUMNAM alliget, & flagellis cædat.
Seu quòd nutantem adhuc, aut non ita firmam
Polonorum fidem inuenerit; ſuccollatrice baſi ſuſtentat.
Diu enim laborandum eſt, antequam virtutem ſolides;
Vitia quocunq; poſueris loco, ſtatim radicitùs adhærent.
Nec ſolus ad nos venit palmaris hic aduena:
Nouit, quàm auxiliaris Camilla Militanti Eccleſiæ eruditio:
Ideò præter literatos homines libros ſecum duxit
Non ſenſurus viarum moleſtias,
Dum ſuauiſſimum iter facerent Muſæ comites.
Et patuit earum in Nos amor,
Quando ad Sarmaticas etiã niues non inhorruerũt tenellulæ Virgines:
Ratæ

Ratæ nunquàm se delicatiùs habendas, quàm apud Polonos.

Nouo hinc ad posteros Proculphi elogio,

Quòd inter tot armorum strepitus

Omnem Poloniæ totius ætatem exercentes,

Ille in eiusdem secretum literas ausus intromittere.

Aliàs non vbiuis secum conueniunt Mars & Pallas:

Parnassi confinia non amat Hæmus.

Difficile est bellacibus Regnis assuescere calamo,

Vbi natalis genius gladium meliùs persuasit.

Frustrà Apollinis cythara auditur,

Postquam Gradiui tubæ sonuêre.

Fecit tamen Proculphus:

Et cum Cathedrā illustribus, quos secum adduxit, ornasset Viris;

Iuuentutem Polonam literis & pietate imbuendam accepit.

Nouus nimirùm Apelles rasam adhuc tabulam,

In quâ optimam vitæ ideam depingeret,

Bene sciēs prima vitæ initia verissimè præludere secuturæ ætati:

Metallum est ingenium humanum;

Scalpro & instructiuo alterius malleo domari, ac in laminas duci potest.

A naturis nostris, vt ab arboribus fructus dulciores vix sperandi,

Nisi per insitiones & continuos labores syluestrem naturam corrigant.

Adeoque mirum dictu,

Quantùm sub sanctiore Chirone teneri proficiebant Achilles,

Leonis nullius medullis pasti,

Nisi illius, qui cum esset Leo de tribu Iuda,

In Agnum primò, in salutarem deinde transiuit panem.

Cohorruerant statim in aris suis Poloniæ portenta,

Postquam armaturam leuiorem Proculphus in campum eduxit:

Nec nuces illa agitauit sed triumphos,

Quandoquidem pumila corpora gigantes animæ informabant,

Personantibus toties in Deorum perniciem classicis,

Quoties ad Missæ sacrificium puerilis innocentia decantâsset.

Ita Episcopalis Proculphi curia seminarium erat,

Vnde

Vnde fæcunda Ecclesiæ messis pullulauit:
Seu noua Gigantum Patria; vbi tam valida manus
Dimouendis è cœlo Sarmatico Dijs adolescebat.
Quo pij Pontificis ad sæculorum memoriam nomine?
Iudicet Orbis;
Quando pari cum Deo felicitate
Suam ex ore infantium & lactentium perfecit laudem.
Sed ne parùm laborâsse PROCVLPHVM existimes,
Integro decennio superstitionis oppugnauit Trojam:
Non passurus terminalem in vincendo columnam,
Nisi fata palmarem conatum præuertissent
Anno succolati per DEVM hominem mundi DCCCCXCVI.
Suæ in Cracouiensi Cathedra Sedis X.
Qui ne Ecclesiam Cracouiensem pupillam relinqueret
Libros omnes eidem inscripsit.
Non iã calamo sed voluminibus integris, affectum testatus in Spõsam.

PROCVLPHO ITALO
ODE II.

ATtrita tantùm Pergama Tænari;
Excisa nondùm. Feruet in vltimas
Proculphus hostium ruinas,
Et Lechicis meditatur vnum
Fanis sepulchrum. Castra nec horrido
Implet Gigantum corpore, turbidis
Alasuè Titanum cateruis,
Non validi statione Rhæci
Non vi Tiphæi, non tumidi Mimæ:
Imbellis infans ductor atrocium
Hic pœne bellorum est, modestis
Quem pietas animosa telis,


Lati-

Latina ferri quem validi tegit
Thorace Pallas: Fœdere literis
Et iuncta virtus, quas PROCVLPHVS
Egregiâ sociauit arte.
Horret superbus prælia Cerberus,
Auernus horret turpis, & in fuga
Spem ponit infami: tenellæ
Quando videt legionis ipsis
Pastas triumphis crescere copias,
Et arma scribi, classica concini
Ab ære campano, supremam
Perniciem paritura toti
Omninò Diti. Prouolat alite
Passu iuuentus; nec puerilibus
Assueta iam bullis; virili
Sed meritas agitare palmas
Edocta nisu promit idoneas
In arma vires: & per inanium
Portenta Numinum vagando
Magnificos generat triumphos.
Necesse non est nempe tricorporis
Pugnare magnâ Gerionis manu;
Cùm corpore in paruo gigantes
Egregiè latitare mentes
Possunt, & ingens pumilionibus
Inesse semper spiritus artubus;
Cùm parua non obstet statura,
Quin validis equitet maniplis:
Et innocentis dextra puêrtiæ
Fatalis Orco est, & pumilus puer

 Ferale

Ferale telum, magna virtus
Si teneros animauit annos.
At Roma tantum, dum leuibus videt
Orbem PROCVLPHO *accrescere copiis,*
Gauisa proclamat. Mearum
Grande decus columenq; rerum
PROCVLPHE: *Romæ delicium tuæ*
Iam viue felix. Vixi & ego meis
Lactata palmis Roma, vixi
Nexilibus redimita sertis,
Cùm Mars profanus quæreret arduam
Per arma famam. Sed quid? inhospitis
Leges Britannis, & tumenti
Imposui mea fræna Nilo.
Seresq; tantùm, vel Babylon suo
Absumpta luxu, vel Scythico gelu
Euxinus horrens, aut Araxes
Barbaricis tumefactus armis
Sensêre Romam, & perdomiti suum
Flexêre collum. Sarmata jam meos
Audiuit, haud sensit, fragores,
Isq; fuit, cui Roma soli
Minùs timebar. Tu melioribus
Donate fatis cum populo Deos
PROCVLPHE *vincis: sanctiori*
Tu melior noua regna Romæ
Camille subdis. Viue perennibus
Addende fatis; Fama volucribus
Libranda pennis sub supernos
Magna vehet tua facta cælos.

LAMBERTVS ITALVS



NOn diu in Canonicorum Collegio laboratum est,
Statim ad Cracouiensem Cathedram electus LAMBERTVS,
Non aliunde quàm à virtute & literis nactus suffragium.
Imperat conclauibus literata virtus
Et electoris cuiusuis voti, non tam suadet, quàm vrget.
Potitus INFVLÂ, Diœcesis commodis seruiuit.
Veri enim Pontifices non aliena, sed sua putant damna, si aliis desunt;
Ideo in summo positi, vt cum Sole omnibus seruiant.
Iactantiæ hostis,
Quòd nosset tantùm se vituperij accersere,
Quantùm proprijs adderet laudibus:
Suique laudatorem nihil differe à sui vituperone.
Gloriabunda garrulitas, etiamsi veritatem de se dixerit, mentiri putatur:
Satyram cudit, cùm existimat Panegyrim.
Intereà temporis MIECISLAVS dignos Poloniâ animos cõcepit,

Vt regiam ſibi & poſteris Coronam peteret.
Illâ tunc maximè dignus, cũ nõn acephalus, Eccleſiã caput agnõſceret
Non defuerant alij, qui his procurandis Romã mitti potuiſſẽt.
ſed nullus tunc præ LAMBERTO viſus,
Cuius ore meliùs eloquentia loqueretur.
Igitur ad Syluestrum hujus Nominis II. Legatus
Vota Majeſtatis Polonæ explicuit,
Facili ad poſtulata primis initijs ſummo Pontifice
Sed cum ab Hungariæ Principe S. STEPHANO Aſtrius Epiſcopus,
Aut potiùs, (vt annales Hungarici habent,) Angelus
In ſimili veniſſet cauſa, data HUNGARO Corona
Nullâ Oratoris LAMBERTI culpâ,
Cùm non in humana manu ſit, quod cælum arbitratui ſuo reliquit.
Initia in noſtra poteſtate; de euentu Fortuna iudicat.
Nimis rigidi aliquando homines ſumus,
Quià felicem in omnibus ſucceſſum ſtatim exigimus,
Expectatione Fortuna paranda, non imperio.
Vt enim Solis fauorem nubes & nebulæ impediunt,
Ita ſummorum beneuolentiam variæ quandoq; cauſæ.
Ceſſit tamen LAMBERTVS non tam Aſtrio, quàm Angelo,
Qui cùm cœleſtis Legatus eſſet,
Minimè mirum, quod majorem actiuitatem oſtenderit,
Cujus eſſe, eſt operari.
Nimis quoq; properè regale à nobis petebatur paludamentum,
Cùm hiantia adhuc vulnera barbarè pugnantium inter ſe Polonorum
Obligaturam tæniam pati non potuiſſent.
Malus erat tingendæ Purpuræ murex, mutua domi cædes.
Tam puſilla adhuc Polonorum credebatur Fides,
Vt incapax Coronæ videretur.
Dari non poterat Sereniſſima FASCIA,
Niſi pleniori in Eccleſiam Romanam relaxaretur nexui.
Sperare nihilominùs, non deſperare, LAMBERTVS iuſſus,
In

In Poloniam rediit;
MIECISLAO eò magis Christianis operibus intento,
Quòd cœlestem expectaret Coronam,
Cùm terestrem negauit Roma,
Cujus acquirendæ amissa fiducia melioris in cœlis fuit illiciũ.
At non ita diu spes LAMBERTVM tenuit,
Vt coronatum non videret Regem.
Ad visitanda Diui ADALBERTI lipsana
OTHO III. Imperator in Poloniam venerat,
Qui ingrediẽs, dum strato honoris causâ, per septẽ milliaria pãno
A BOLESLAO CHROBRIO excipitur,
Ne tanta humanitas careret præmio,
CHROBRIVM nouo Regis titulo ornat,
Imponente solenniter Diadema GAVDENTIO,
Et LAMBERTO ministrante, non sine mixtis gaudio lachrymis,
Quòd Infulatus Senecio oculis posset spectare,
Quæ exspectare quondam jussus fuerat.
Longum aliàs omne momentum sperantibus
Plerumq; fit, quia naufraga vita in sepulchrum transmittit,
Quod lactabunda spes promiserat.
Ita succiditur aliquando expectationis surculus,
vt in nouum successûs germen ampliùs non sobolescat.
OTHONE demũ in Patriã, BOLESLAO in Martiũ campũ digressis,
LAMBERTVS Cracouiam reuertitur
Nihil desiderans,
Nisi vt coronato in cœlis MIECISLAO conuiueret,
Cui in terris procurare diadema non potuit.
Annuit DEVS, & vt videret
Splendiorem præ Romana cœlestem MIECISLAI Coronam

LAMBERTVM ad se euocauit, anno Regis Regum M. XIV. LAMBERTI in Cracouiensi Sede XVIII.

LAMBERTO ITALO
ODE III.

IBis Poloni Mercurius Iouis,
Ad Vaticanas nobilis INFULAS
Legatus ibis, Regiumque
Sarmaticis diadema terris
LAMBERTE *posces. Sic dominæ Tibi*
Mandata MITRÆ, *pulchra domestici*
Sic iussa præscribunt Senatûs,
Sic reliqui rata vota vulgi;
Sic illa magno prædita spiritu
Persuadet oris suada tui; cui
Vix vlla par dari inter ipsas
Pontificum poterat Tiaras.
Auditis? vt quâ fertur in Italas
LAMBERTVS *Alpes; hâc properis statim*
Secuta Faustitas quadrigis
Difficiles minuit labores.
Auditis? vt se pulchra satellitem
Fortuna seruam iungit, & aspera
Sentire non jubet molestæ
Monstra viæ, placidisq; circum
Decora cingit vela Fauonijs:
Et jam repansis obuia brachiis

It

It ſepticollis Roma, gaudens
Iam Tyberis fluidis ſalutat
Sufflauus vndis: Iam Lechicis datur
Corona terris; Pannone proprias
Agente cùm partes, & ipſo
Indubiè monitore cælo
Corona ſoli tradita Pannoni,
Dilata Lecho Sarmaticis fuit
Sceptrumq́; quod terris paratum,
Hungaricas decorauit oras.
Vexâſſe Nos ſic viſa ferocior
Fortuna primò: ſed tenero breui
Dignata complexu, Polonis
Vltrò tulit diadema regnis.
Vt pulſa nobis barbaries prior,
Vt viſa major Chriſtiadum fides,
Vtq; hoſpitalior Polonus
In CHROBRIO *ſcijt eſſe mundus;*
Sic & Coronæ, ſic diademata
Venêre nobis. Improba Sarmatis
Quouſq; regnauit libido,
Inſtabiles eouſq; vultus
Fortuna fouit. Quatenus integra
Vel Regna diſcant, egregiâ niſi
Virtute Fortunam parari:
Si modicas tenet illa vires;
Et iſta languet. *Barbaricis thronus*
Se ſemper olim ſuſtulit auſibus:
Iam pulchra ſi eſt virtus, paratam
In medio tenet orbe ſedem.

POPPO

POPPO ITALVS.



EX Italia in Poloniam à PROCVLPHO adductus,
Natales illos intulit,
Qui ad Pontificiam poſtea non erubeſcerent Purpuram.
Quanquàm major illi à virtute claritas,
Non ignaro
Malè è ſolis natalibus reuerentiam deberi:
Et deſtructi ſæculi eſſe,
Si quis ſanguinem ſolùm, aut Familiã, non item virtutem iactat.
Euectus in Epiſcopalem Cathedram
Ad normam Prædeceſſorum ſuorum vitam & mores inſtituit.
Multis palmarium non eſt,
Alterius adiutorio ad rectum contendere:
Quaſi illam ſolam pulcherrimam virtutem habeant;

Ad quam sibimet viam fecerint:
Sed satis bene agitur cum homine,
Si alieno beneficio saluari potest.
Malè nimus, quia naturæ sponte nascuntur vitia;
Virtutes etiam pari facilitate censentur:
Virtus difficilis intellectu pædagogum desiderat,
Vitia & sine Magistro discuntur.
Ægrè & pedetentim, & adhùc baiulante altero
Ad honestum formatur gressus;
Ad inhonesta non curritur, sed volatur.
Vis, apertiùs dicam?
Cænosus lacus est, natura nostra;
Nemo per se valet, vt hinc emergat:
Oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat.
Non dat natura virtutem;
Ars artium maxima, bonum fieri.
Vt in literarum, ita in virtutum studiis, nemo suo diues est:
Dat ager fructum, sed semina accipit.
Bene Poppo
Antecessorum suorum facta pro quibusdam summulis habuit,
Ex quibus, ad quæ teneretur, reuocaret sibi in memoriam.
Inscripta tumulis Elogia
Non mortuis loqui ratus, sed sibi & viuis.
Proprio igitur ne deesset muneri,
Diœcesim singulis annis obibat.
Cùm Sole multùm habet Infvla.
Turpè illi; si terris desit: turpè huic; si subiecto gregi.
Pontificij Pedi labor, est otium populi.
Non dormit securè Regnum, nisi Princeps excubet;
Non quiescit Diœcesis, nisi Antistes vigilias agat.

In procurãdis ad Ecclesias gubernãdas Ministris diligẽtissimus;
Et quibus suffragium daret
Non propinquitas, vel nationis respectus, sed virtus.
Mendacio capitalis hostis,
Mentiri; Seruilibus & Plebeis relinquens ingenijs.
Ex continua librorum lectione doctissimus,
Quos non in spectaculum, sed profectum comparauerat.
Quod non ignoraret multorum dementiam,
Quibus plerumq; libri
Non studiorum sunt instrumenta, sed ornamenta conclauium:
Quibus nihil solennius
Quàm inter voluminum millia oscitari:
Vbi codices culminant, non tractant: congerunt non conterũt:
Et quos alij tantùm spectent, ipsi nunquam euoluant.
Et verò debemus Antistitis huius felicitati,
Quòd daturas lilia Benedicti spinas sub illo viderint Poloni.
Sanctissimum Nursinatis Spinolæ Ordinem
In Monte Caluo primò; Secechouiæ deinde,
Fundauit BOLESLAVS Chrobrius.
Secuti Principem Proceres,
Dum Secechus Palatinus Cracouiensis
Ad Secechouiensem fundationem liberaliter addidit.
Nimirum:
Rex velit honesta; nemo non eadem volet.
Præeunte Sole
Pònè statim suus sequitur Hesperus.
Quales in Republica Principes, tales reliqui Ciues.
Rectè facere Princeps Ciues suos faciendo docet.
Vitæ demum finem inijt bonus PONTIFEX Anno Dñi MXXIII.
Cum rexisset Ecclesiam, præter aliquot septimanas, annis VIII.

POP-

POPPONI ITALO
ODE IV.

NOn vna quamuis laurea nobilem
PO P P O N E M adornet; magnificos ferat
Non vna quamtumuis triumphos;
Vna tamen reliquis omissis

Dicenda Vati. Discite Præsules,
Rursusq; dicam; discite Præsules;
Quis POPPO *Pastor. quando nullam*
Ad requiem facilis, diesq;

Noctesq; somni nescius omnibus
Exegit horis: & proprio gregi
Intentus, impleuit, quod ipse
Pontificum cupiebat Ordo.

Illustrioris quælibet INFVLA
Est solis instar. quò propiùs suos
Admouit hic terris iugales;
Hoc vegetat meliore motu.

Et Luna binis roscida cornibus
Esto Planetis inferiùs suum
Deducat axem; tam nec altè
Noctiuagos agitare currus

Possit; robusti quò Tegeaticus
Nepos Atlantis Mercurius; pigris
Luctata quò Venus phaselis,
Vel clypeo melior serisq;

 Mars

Mars asper armis; æmulus aut Iouis
Saturnus ingens; sed tamen vltimis
Vicinior quia illa terris;
Munificæ documenta nobis
Sunt plura Lunæ. Flumina lubrico
Hinc nota cursu; hinc, qui virides niger
Descendit in campos Galesus,
Fertilibus benefactor aruis:
Hinc ille septem nobilis ostijs
Ægyptiorum Nilus, & Adria,
Ararue Celticusue Scaldis,
Et famulus comitatus vndis
Isterq;, Rhenusq;; &, bibit India
Quem fusca, Ganges: & Tagus aureo
Padusué diuites metallo,
Siue fluunt refluuntué; Lunæ
Debent mouenti. Quòd mare turgidis
Pulsatur Euris: regnat in excitis
Vertigo quòd vadis frequenter;
Quòd tremulo reuoluta fluctu
Nunc vnda feruens surgit, & æthera
Fragore pulsat: nunc grauioribus,
Soluta mitescit procellis;
Luna suo est operata cursu.
Quæ plena fulgens flucti-vomum tenet
In auge pontum; cornua mox suo
Minora si reddit recessu,
Et tumidi minor vnda ponti est.
Præsens herili, & Thrax oculo suum
Si equum saginat; bellua præpeti

Exultat

Exultat incessu, & superbos
Nouit ouans glomerare gressus:
Feroxq; mandens fræna fluentibus
Humecta spumis it quadrupes; citis
Ac versus hâc, et hâc habenis,
Iam tenues generosus auras,
Iam calce terram percutit, & gradu
Sonante gyrans supposito solo
Audacter insultat. Frementis
Cûi querulæ crepuêre conchæ
Vix signa belli Martia; classicum
Cûi præliaris vix sonuit tuba;
Attollit hinnitum, & per acres
Ire parat violentus hostes.
Iste iste demùm, si Domini vigil
Pupilla desit; nec caput erigit,
Projecta nec sustollit ora,
Verberibus stimulisq; quamuis
Sessoris actus: Fessa jacet iuba,
Et fessa ceruix: pectus anhelitu
Raucescit á crebro, & prioris
Vnam animi nisi monstrat umbram.
Eheu? Poloni, cætera distuli
Docere Vates. discite Præsules,
Quæ & quanta sit vestri tenenda
Cura gregis, geriturq; quanto id
Munus lacerto! POPPO *adamantinus*
Insculpta portat nomina sæculis,
Quod egit omnes, quas requirit
Pontificum sacra MITRA *partes*

GOMPO

GOMPO ITALVS



ET hic è PROCVLPHI diſciplina
Pietate & Muſis ſuccolantibus ad INFVLAM erigitur.
Inueniri adhuc poterat illa temporum felicitas,
Vt Iſocrates ſuum haberet Theopompum,
Suum Theopompus Iſocratem,
Qualis erat cum GOMPONE PROCVLPHVS:
Cujus ille non auditor tantùm, ſed & vitæ repræſentator
Laudabili in hac diſciplina vtroque,
Quod breuiori & efficaciori itinere per exempla
Non verò longo illo per præcepta
PROCVLPHVS manuduceret, GOMPO iret.
Mutæ aliàs præſidentium voces,
Si vocales non ſunt præcipientium actiones.

Augu-

AUGUSTINUS
Plùs ex moribus, quàm ex verbis AMBROSII traxit.
MARTINUM Turonensem
Magnum Virum non Schola Hilarij, sed contubernium fecit.
Erudierat pulcherrimè Iuuentutem Polonam PROCVLPHVS,
Resumpsit nobile opus GOMPO;
Non quòd prior illa extingueretur institutio,
Sed quòd ne extingueretur, prospicere voluit.
Et Agricola
Integris adhuc alijs plures arbores serit,
Quas in demortuarum locum sufficiat.
Vt in indiuiduis perennent species,
Alia alijs continuatâ serie necesse succedant.
Mirumque dictu
Quantæ hinc militanti Ecclesiæ promebantur copiæ.
In paruis admodum pueris Hercules OEtæi spectari potuerant;
Hi in Clericos postea attonsi,
Xisto suo non indigni formabantur LAVRENTII.
Adhuc tamen Poloniæ tellus ita corrupta fuerat,
Vt noua Monstra crearet, maximè Pythonum.
Ijs extirpandis natus GOMPO,
vel inde Apolline major,
Quòd ille nisi vnum Pythonem, plures hic Pythones, perdiderit.
Malè namq; diuinatorij spiritus, in carne humana haberent locum,
Qui statuis quoque ligneis cedere cogebantur.
Christiani si fuerant Poloni
Frustrà aliunde peterent Oracula; nisi à CHRISTO.
Qui vix natus, & statim Delphis Phœbum tacere iussit;
Quid vbi adultior jam; & à cujus natali,
Vltra mille annos numerabat illud sæculum.
Pudere debuerat garrulos vates, loqui aliquid, aut potiùs mentiri
Ad conspectum Diuinæ veritatis.
Vt non ex omni ligno, ita non ex omni dæmoniaco homine,
Mercurius esse potuit.

His

His & pluribus aliis sui muneris insistebat GOMPO;
Et ecce feralis Nuncius INFVLATVM Marsyam in lachrymas eliquat,
Serenissimus Sol in occasu
BOLESLAVS scilicet CHROBRIVS solo & solio mortuus.
Principum mortes parata Rebuspublicis funera,
Horum tempestas, illarum naufragium:
In his solis misera aut felicia Regna.
Non potest obduci Cœlum, nisi terra languorem subeat;
Non possunt Principes, nisi & Subditi:
Vt & Sole languente, caligant cuncta.
Ingemuit GOMPO ad tantam throni viduitatem.
Nec enim Mars in BOLESLAO solùm extinctus, sed & pietas:
Cui si cum EPISCOPO loqui contigit,
Non priùs sedit, quàm EPISCOPUS sedisset:
Laureatum etiam verticem indignum Coronâ ratus,
Qui INFVLAS venerari nesciret.
Nec hinc derogatum quidquam Regiæ reuerentiæ,
Taliter coram Pontificibus suis cadere, erat erigi:
Non deturpato quidquam CONSTANTINO,
Si coram Piscatore flexit genua Imperator.
Superba satis humilitas, Rex humilis:
Qui Serenissimus cum sit Sol,
In nube modestiæ meliùs apparet.
At non sapuit GOMPONI vita ampliùs,
Postquam suas & Poloniæ delitias optimum Principem amisit,
Ideo æternam anhelauit & obtinuit
Anno CHRISTI nati M. XXXII. sui Episcopatûs IX.

GOMPONI ITALO
ODE V.

P*Roh! quale monstrum, quodue vtero dedit*
Inuita tellus: Sanguinolentior
Python, voraturoq; latè
Ventre premens spatiosa longæ Ipsa

Ipsa ipsa terræ iugera. Quem recèns
Vix Pyrrha vidit; tortile pallida
Pauescit ad monstri volumen,
Deucalionq; nouo timore
Perculsus hæret. Serpit in obuias
Formido gentes, & pauor omnium
Per tecta decurrit domorum:
Præ tremulo pecus omne mutum,
Mussant iuuencæ pectore, nec suis
Iam pastor agnis, sed metuens sibi
Recedit in syluas. parentes
Inde suis trepidant puellis,
Ne virulento gutture spumeam
Humana pascant corpora belluam;
Propinquus aut sitim obligetur
Indomitam releuare sanguis.
In tam ferocem bella tamen mouet
Pythonem Apollo: & quo capreis nisi
Damisq; ceruisq; insequendis
Vsus erat; iaculatur arcu
In vasta monstri corpora. Squameo
Luctatur ingens vipera tergore;
Sed pænè iam exhaustâ pharetrâ
Mille grauem perimit sagittis
Pythona Phœbus. Gaudet ab horrido
Soluta partu terra, per effluas
Plaususq; diuagatus vrbes
Solicitas iubet ire curas
Metumq; poni: Tum profugus sua
Armenta pastor visit, & herbido

 Securus

Securus in campo vagatur
Dumiuagis modulans capellis.
Sed heu! Polonis monstra iterùm noua
Inuenta terris. Monstra iterùm noua
Nouusq; Python heu! nec vnus,
In Lechicis numerata campis,
Sed plura Pythonum agmina: conscio
Vt quisquis augur dæmone spiritus
Futura dicit; hic Medusa
Hic valida mihi major Hydrâ est,
Omninò Python. Quidquid ab ilice
Cauâ futuri præscia balbutit
Cornix, vel insanè reuisis
Bos loquitur iugulatus extis;
Immane monstrum est, & Lybico mihi
Pythone maius. Iam nihil Africa,
Natura nil de te dolebo;
Sarmaticis eadem reperta
Sunt monstra terris. Heu! quis in impias
Pugnator Hydras? heu! quis in improbas
Phœbus triumphalis lacertas?
Fulmineum quis in ista mittet
Portenta telum? credite posteri,
GOMPO, vel ipso major Apolline
Vltrice Pythones sagittâ
Persequitur, trepidosq; vanis
Expellit aris. In Lechiæ nouus
Hic monstra Apollo est; alter in improbas
Hic Hercules Hydras: in ipsas
Perseus hic iterùm Medusas.

RACHE-

RACHELINVS ITALVS



ARcanum illud euoluet RACHELINVS,
Conducibiliusne sit subditis populis
Sub malo Principe viuere, vel sub nullo:
In eam temporum tempestatem deuenit,
Vt vtrumq; probaret Polonia, vtrumq; improbaret.
MIECISLAVS optimi Principis BOLESLAI pessimus Filius,
Regni gubernacula tenuit;
Æternùm erubescente Purpurâ,
Quod tam invtile lignum induerit.
Perpetuum enim & Sceptris opprobrium est,
Vbi in immeritas manus venerunt.
Pudet trabeam, si imparem operit Candidatum.
BOLESLAI tamen culpâ hæc omnia acciderunt,

Qui melior Rex, quàm Parens
Vsitato Heroibus more, vt noxas pariant,
Degenerem Filium genuit.
Faciliori veniâ si saltem Regno non destinasset.
Nam æquiore animo fertur
Princeps parum feliciter genitus, quàm malè impositus.
Dignus nihilominùs imperio visus MIECISLAVS,
Nisi quod expectatione tantùm magnus, non euentu
Rixâ in thori sociam acceptâ infernali Furiæ nupsit,
Prisciano jam tùnc impactùm sibi colaphum sentiente,
Quod contra Grammaticæ leges,
Hæc Vir esset, hic Mulier.
Indoluit RACHELINVS, quòd non in Augustum inciderit.
Cujus à nutu licet Liuiæ pendentis, tolerāda nihilominùs erāt imperia:
Et sæpe in abrogationem Principis intentus;
Sæpe bonum Imperatorem voto expetendum,
Qualemcunq; tamen tolerandum ratus,
Felicitatem Poloniæ expectauit.
Donec insaniâ correptus MIECISLAVS Parcarum imperio cessit,
Parcis nunquam non similis:
Ignauus enim & otio deditus Princeps
Parcas quodammodò imitatur,
Dum populorum suorum fata ducit ex colo.
A morte MIECISLAI impari adhuc Coronæ CASIMIRO,
RIXAM regnare jusserunt Poloni,
Alteram arbitrati Vandam;
At nimiùm illa nominis sui memor
RIXAM non Vandam egit.
Superbissima Fæmina, & quibus imperauit, Polonos exosa,
Theutonibus suis nimiùm addictior,

Sub

Sub alieno Polo nata, Cæli sui vitia tulit.
In seipsâ ostendens
Quàm difficile aduentitiam Maiestatem
Et moribus proprijs, & legibus viuere alienis.
Labores Polonis, laborum præmia extraneis relinquens
Aquilas nostras non leuiter offendit,
Quòd non sibi nidificarent.
Et tamen nullum grauius Maiestatum in subditos crimen,
Quàm simul cum obsequio abolita obsequij memoria.
Iuuari vult virtus;
A qua præmia si tollas, quid speres?
Et Deum monentem inuitantemq; nemo sequetur,
Si promissa cælo dona sustulerit.
Puduit libertatis suæ Poloniam,
Quæ tantoperè seruiret.
Nec enim in Semiramidẽ incidimus, vel aliquam Penthesileam
Sed in Theutonicam Medeam:
Quæ optimè de se meritos Polonos pessimè vltura,
Superbo & maximis etiam thronis nunquam decoro
Despectu castigauit.
Generosis animis multùm pænæ est ex Imperantium fastidio.
Insolens nauseantis Maiestatis facies
Nimiùm quantùm exulcerat populum.
At diutiùs sibi insultari non passa libertas Lechica,
Obsequium denegauit fastuosæ Mulieri,
Quæ imperandi gloriâ vti nesciret,
Patuitq; *pereunte obsequio nihil imperium scire.*
In sinu Polonorum
Dum securè quiescere non potest regnatrix Fæmina,

 Quàm

Quàm audacter priùs tumida, tam abiectè posteà timida
Expilato Regio fisco in Saxoniam secessit.
Felicissima videbatur dies prima post tyrannicæ Dñæ abitum:
Sed enim nouum illud patuit, quod fortasse Orbis non supposuit.
Tolerabiliora mali Principis
Imò pessimæ quoq; Fæminæ imperia, quàm nullius,
Pulcherrima Virgo, Polonorum Libertas, nuptui elocata,
A marito Licentiæ nomen traxit.
Vt ferè fit;
Nimiùm in libertatem suam peccanti populo
Sæpius libertatis vmbra illudit.
Frequenter, qui ab vno regi nolunt, affliguntur à plurimis.
RIXÆ & CASIMIRI discessu sceleribus patuit Regnum,
Ventumquè eò;
Vt virtutem raram pateremur aut nullam:
Mutuis cædibus miscebantur omnia,
Non hospes ab hospite tutus, non Ciuis à Ciue:
Captiuus cum Virginibus abducebatur pudor:
Et inter cognatas acies pulcherrima illa videbatur consanguinitas,
Quæ ab effuso sanguine affinitatem duceret.
Vnde vix aliud visum est gliscentis discordiæ remedium,
Quàm si vnus alterué maximè prompti subuerterentur.
Sed Potentiorũ metu, necessarium facinus peragi non potuerat;
Pessimo omnino exemplo,
Vbi generis splendor atq; opes ex scelestissimo innocentem faciunt:
Vbi diuitiæ judiciorum sunt momenta.
RACHELINVS ingemuit non leuiter
Quòd & sibi cum alijs Episcopis tutos esse non liceret:
In nullos magis debacchante tunc licentiâ,
Quàm in Sacrorum Ministros & templa.

Sed

Sed monuit tandem hostis, in quo statu essent Poloni
IAROSLAI Russiæ, PRÆDISLAI Bohemiæ Principum
Hostilibus copijs exciti,
Sine Rege
Non acephalos tantùm se senserunt, sed & mancos:
Debilibus omnino aut potiùs nullis manibus
Aduersús tantam imminentium bellorum molem,
Igitur vnica languentis iam Reipublicæ salus visa
Ab vno regi.
Sed à quo? comitium libertas habuit
CASIMIRVS timebatur suæ iniuriæ vindex;
Inter vicinos Principes nullus tunc visus,
Qui Sarmatico Orbi sufficeret.
Aut si quis Atlas erat, sub suo laborabat Cælo;
Domi, è Proceribus nullum eligi placuit:
Pro Polonæ æqualitatis genio,
Quæ aliunde accersere ad Coronam maluit,
Quàm domi natam, esto Coronæ subinde parē, coronare indolē,
Peruicêre, qui pro CASIMIRO fuerant.
Missi Legati, qui eum ab exilio ad thronum euocarent.
Innatâ hâc rebus humanis vicissitudine,
Vt breue nimis spatium intersit
Inter priuati laciniam & eiusdem imperaturi purpuram.
Inuenta Mater in Saxonia nihil de prioribus odijs remittens.
Filius in Gallijs degens
Festinantibus eòdem Legatis, repertus quidem
Sed cucullo iam quàm Purpuræ assuetior,
Per Religiosa vota ei se inuoluerat nodo
Quem Romanus nisi ALEXANDER soluere posset:
Is erat BENEDICTVS IX.

Suppli-

Supplicatum à Nostris Apostolicæ Sedi.
Et indulsit quidem Roma,
Sed nos perpetui census damnauit;
Vt iam tunc liquere potuerit, quàm *carò constet bonus Princeps.*
At non doluimus hanc impensam
Non nescij
Nullum cæli præstabilius munus, quàm rectum Principem.
Fænerari pro regnaturis non pœnitet, si ij sunt, qui dignè regnēt.
Aduenientem CASIMIRVM lætus excepit RACHELINVS;
Et STEPHANO loci Metropolitano
Gnesnæ in Poloniæ REGEM vngenti libens inseruiuit,
Iam tunc dimitti ex hac vita non abnuens,
Cùm meliorem Patriæ statum vidisset.
Pontifex per omnia magnus,
Et à quo rigidiore apud se & Clerum suum Castitatis exactore
Puer Cupido non semel virgas accepit.
Calculi doloribus consumptus, ita tamen,
Vt alium sed disparem calculum cum Ecclesia iniret,
Supellectili suâ omni Sacris locis addictâ
Anno restitutæ hominibus salutis M.XLVI.
Episcopatûs sui XIV.

RACHELINO ITALO
ODE VI.

VT illa mittam; sub stupido Lechus
Quæ passus Orbis Principe; quæ malè
Regente RIXA *pertulisti*
In Cracia RACHELINE *Sede;*

Ciuile

Ciuile bellum, tum viduum sinè
Regnante Sceptrum, regnaq; sordido
Vexata fato, & hinc receptas,
Inde datas memorabo cædes.
Quis Nos Poloni, quis furor improba
In arma cogit? quæ miseræ subit
Cupido pugnæ! per Parentum
Barbarico quia more colla
Fratrumq; nostris pergimus ensibus;
Insanientes sacrilego quia
Per templa discursamus ausu,
Et pariter violenta sacris
Instat ministris dextra. Per æmulos
Posset Borussos cumq; domestica
Bellona grassari, vel arcta
Fædifrago dare fræna Russo
Et non inultas mittere perfidi
Cristas IAROSLAI, *aut Lechico throno*
Negata nequitèr tributa
In positis numerare collis;
Raptasq; nuper non sine Patriæ
Nostræ pudendâ clade colonias
Pigro MIECISLAO, *ad priora*
Sarmatiæ reuocare jura;
Domi feroces prælia ducimus,
Et à vetustis degeneres nimis
Auis Nepotes, bella nullas
Aggredimur paritura palmas
Nullasq; lauros. Quando minantibus
Cognata signis signa ferocior

Educit in Campum Gradiuum,
Ac aquilis aquilas propinquis
Miscet propinquas turpiter. Et tamen
Pudet Mucronis, sanguine mergitur
Quicunq; Ciuili: cruento
Arma placent madidata tabo,
Quod fluxit hosti, non quod ab incola
Ceruice manat. Sunt steriles, domi
Quæcunq; laureæ feruntur;
Egregias inimica ad extra
Dat gleba palmas. Degener est, suæ
Materna quisquis viscera Patriæ
Rimatur impius. peregre
Cum pugili volitare ferro
Res plena pulchræ laudis, & optimi
Fallenda nunquàm nuncia nominis.
Sic ni laboràris; decoram
Non poteris retinere famam.
Proh? vt dolentem non mediocriter
Tam fæda turbant crimina Præsulem;
Dum spectat, vt virtus Polonis
Sic tenere celebrata nuper
Vbiq; tectis, exul in vltimam
Damnata Thulen transmigret, & vago
Errore decurrens mapales
Hospitio petat vsq; caulas.
Proh! quæ doloris machina, dum videt
Vt iactâ collo vinêla tenelluli
Instant pudoris, ac vt illa
Virginitas gemit in tenaci

Captiua

Captiua loro. Nec sacra cum suis
Secura Mystis templa; sed in fuga
Spes omnis ad syluas coegit
Immeritum remeare Clerum:
Vt iam timendum non leuitèr foret,
Ne Sarmatarum sic pereuntium
Prior recurreret, suamq;
Barbaries renouare scenam
Antiqua vellet non sine pristinæ
Rubore Famæ. Sed melioribus
O! digne fatis pone luctum
Pone graues RACHELINE *curas.*
Iam cessat Eurus, iam violentior
Claudit proteruos Æolus Africos,
Gaudetq; Neptunus Polonam
Pacificè fluitare Cymbam.
Iam tetra nubes transijt, asperis
Acerba nimbis. Nubila lurido
Abuecta iam curru paternas
Præproperè petiere Sedes,
Aërque sudus discutit horridas
Audacter vmbras, fusaq; tetricæ
Post arma noctis Sol refulget
Sarmatico CASIMIRVS *Orbi;*
Et tu beatam non priùs oppetes
Mortem; quàm in aurum sæcula ferreo
Recusa cernes è metallo,
Inq; nouas RACHELINE *gemmas.*

AARON GALLVS.



Post Capitolinos Anseres
Cracouienſis Eccleſiæ cuſtodiam accepit GALLVS.
Id eſt poſt Italos hactenùs Antiſtites
Ortus ex Gallia ſucceſſit AARON.
In nube modeſtiæ ſplendorem hic ſuum occulere voluerat,
Iuratus CHRISTO pauper in Diui BENEDICTI aſceſi;
Sed neq; virtus humanæ prorſus felicitati renunciat,
Quaſi naturæ exors.
Nouit illa etiam é cucullo eniti ad Purpuram,
Et Religioſo peplo obuoluta perſonata quodammodo eſt,
Vbi egit Scenam
Perſonam comicam deponit & faciem ſuam oſtendit.
CASIMIRO ex Monacho Poloniarum Regi

Poſt

Post fusas MASLAI copias, & Regnis redditam pacem
Augusta mens subijt,
Vt Religiosam Diui BENEDICTI euocaret Familiam,
Cui in Gallijs suauissimè conuixit.
Nunquam scilicet pietas è memoria excidit,
Quoties bonam indolem inuenit.
Raro à pulchra hac semita deflectit, quisquis verè egregius.
Visum est assentiri votis Polonæ Maiestatis,
Deducuntur Cluniaco duodecem in Poloniam,
Inter quos AARON, summo CASIMIRI gaudio,
Quòd familiarioris sibi quondam Viri notã haberet sanctitatẽ.
Viderit ille, quisquis exosam dixit virtutem,
Amatores suos habet virtus,
Et cùm pulcherrima sit Virgo, etiam procos.
Animorum est magnes,
Et vectigales affectus exigit, quoties intuentium corda occupat.
Tinecium deducta pia Colonia, cui in Abbatem AARON,
Pulchro sanctimoniæ supra alios testimonio:
Argumentum enim optimi est, reliquis præponi.
Aliàs vix conuenit cuiquam imperium,
Qui non sit melior ijs, quibus imperat.
Vt D*EV*S *perfectiones omnes in se habet;*
Ita pulchrum, si & Superior.
Lux & regula est quiuis Præpositus,
Ad cuius normam subditi mores suos exigunt.
Abbas verò factus quid egerit, nihil ego,
Plures sui Ordinis Homeros habet hic Achilles;
Satis, si dixero quia dignus visus est Pontificio pedo
Nullâ tunc nouitate ex BENEDICTINO Ordine assumi ad INFVLAM

 Vnde

Vnde ad Coronam quoq; accipi poſſe oſtendit CASIMIRVS.
At vt nihil defuiſſet AARONIS Nomini,
Ad BENEDICTVM IX. in Germania tunc degentem
Mittitur Legatus.
Non quidē à DEO, à prima tamē poſt DEVM in terris Polonis Maieſtate
Fortunatius ſæculum nactus,
Quod Pharaones alloquendos non habuerit.
Ibi Coloniæ per Cardinales conſecratus,
Chriſtianus IASON in illam Colchidem nauigans,
Pro aureo vellere Archiepiſcopale pallium retulit.
Redux deinde in Patriam, exactiſq; in Cathedra annis XI.
Legationem aliam in Cælum orditur
Anno diuinæ in terras legationis M. LIX.

AARONI GALLO
ODE VII.


VT vt quietæ nube modeſtiæ
Tectus latebis; ſolus in abditis
Vt vt teneberis cauernis;
Nota minus tacitoq; claudi
Optabit antro gloria neſcijs
Addicta nimbis; non tamen indolem
Celabis ignotus, nec vltrà
Clauſam AARON *patiere portam*
Ad pulchra magni nominis atria
Vt rarus hoſpes, ſic vbi nobiles
Eſt indoles adepta virtus;
Antra fugit, vacuiſq; non vult

Hærere

Hærere tectis squallida publicâ
Sed laude crescens à popularibus
Gaudet celebrari theatris,
Magnifico graditurq; semper
Libens cothurno. Nescit & asperum
Torquere vultum pulcher Honor; sua
Sed dona confert, sorte dignam
Dum reperit meliore mentem:
Paratus hostis; dum male consciæ est
Prensanda dextræ tænia, cûi pudor
Æternus & labes probrosa
Immeritas operire frontes.
Imò ipsa pallet purpura, dum imparem
Fert candidatum. Turpiter vnico
Si byssus est dorso, nec vlla
Gemma animo genioq; candet.
Eris paludati ô AARON *nouus*
Honoris hæres. Magna monastico
Fortuna non obstat cucullo;
In tenebris etiam latentem
Episcopalis purpura verticem
Profert & ornat. Præsuleam geres
O magne Pontifex Tiaram,
Quam Lechicæ CASIMIRVS *oræ*
Rex ipse donat: quam tibi diuitis
Addicta Craci mœnia, quam Poli
Iurata decreuit voluntas,
Quam faciles statuêre Diui.

LAM-

LAMBERTVS ZVLA.



Diù felicitas hæc libertatem Polonam latuit;
Potuiſſe & inter Nos inueniri apta INFVLæ capita.
Donec in LAMBERTO ZVLA beatitudinem noſtram æſtimare didicimus,
Primò è Polonis,
Qui Pontificium Cracouiæ Scipionẽ ferri poſſe oſtendit ferẽdo.
Quorſum enim aduentitiæ tantùm ornarentur indoles?
Neglectis domeſticis:
Quaſi ea nobis Subiectorum ſterilitas,
Vt niſi à peregrinis accerſiuiſſemus,
Domi non fuerint ſuffectura Pontificatui ingenia.
Pulchriùs ſemper ad faſtigia educatur indoles domi,
Quàm vt aliunde accommodetur.
Toruis oculis aſpicitur prenſata adſcititiâ manu felicitas,
Vbi domeſtica virtus par eſſe poteſt. Maxi-

Maximè verò tunc temporis,
Quando extraneus ambitus ſuam potiſſimè egit ſcenam.
Aliundè venientibus continuò
Qui Epiſcopatus noſtros prenſarent
Et zelus quidem propagandæ in Polonia fidei credi voluerat,
Interim pietatis laruam induta ambitio.
Communi hoc vitiorum pallio,
Vt cùm ſuperbia ſit in cauſa,
Virtutis tamen prætendatur ſtudium.
Arriſit peregrino ambitui Epiſcopalis apud Polonos INFVLA,
Quæ ſimul cum Pontificia ſenatoriam daret purpuram,
Rarâ hâc alibi; Infulatis felicitate
Vt Regni Senatum introeant;
Cum tamen tanta in Ordinem Sacrũ Sarmatarum reuerentia,
Vt ab ipſis ſuſceptæ Fidei initijs, primas eidem dederit,
Et vel Sereniſſimas Maſouiæ Ducum MITRAS,
In occupandis ad publica Regni Comitia locis ſubmiſerit.
Sapuit proinde felicitas hæc Aduenis,
Quam excluſis Indigenis vltrà vnum ſæculum delibabant.
Sed congregatis vndequaque volucribus
Excuſſa tam nobilis offa,
Oſtenſumq; & Polonorum non ita deplumatas Aquilas,
Vt in ſublime euolare non poſſent.
Poſtquàm biennium Cracouienſis vacauit Cathedra,
Polonus tandem electus, ſerò quidem;
Sed nimirùm ZVLA erat.
Qui tantus vel ante cunas Hercules,
Vt creando illi protractæ noctes non ſufficerent,
Niſi anni etiam geminarentur.

 Sicq;

Sicq; non vnus sensit ortus, sensit occasus,
LAMBERTVM *vt Herculem nasci.*
Satis fertilis adhuc ætas illa fuerat
Quæ tam magnum nomen dare posset.
Integri aliàs *Sæculi partus est, bonus* PONTIFEX.
Electus in ARCHIEPISCOPVM
Archiepiscopale pallium petere neglexit.
Incertum,
Siue superbiâ animi, quæ supplicare nollet,
Siue modestiâ, quæ amittere maluit, quàm admittere.
Atque hinc subtraxit se à Cracouia Metropolitanus Honor.
Eiusdem nempe naturæ ille est, cuius & ferox bellua:
Non ampliùs cicuratur, vbi semel irritaueris.
Accessit contubernio ZVLÆ STANISLAVS SZCZEPANOVIVS.
Tantùmq; hoc doctore profecit,
Quantùm STANISLAI postea declarauit Sanctitas.
Et hoc erat ad ingentem LAMBERTI famam,
Discipulum tantum non ab alio formari Magistro.
Addit ad gloriam vbiq; CHIRONI suus Achilles.
Quousque tamen Episcopatum tenuit,
Canonicis Cracouiæ fascibus neminem potiri passus
Qui non fuisset Nobilis,
Tum quòd maximis TOPORIORVM natalibus Illustris
Viliorem sanguinem secum non ferret;
Tum quòd abundè docere voluerit
Sanctiora esse diuinitatis sacraria,
Quàm vt plebeis tractentur manibus.
Debetur Regali Sacerdotio sua nobilitas,
Numinisq; arcana indignè committuntur animis vulgaribus,
Indiget

Indiget natiuis facibus aræ dignitas,
Expostulat ceras, quibus ardeat;
Nullam aliàs Maiestatem habitura nisi ab imaginibus.
Vixit tamen LAMBERTVS, vt Episcopum decuit,
Superstitionis hostis, grauiter eam occidit,
Vt de tam zeloso TOPORIO dicere potueris:
In securi & ascia dejecit eam.
Pius, prudens, & cuius tota vita virtus appellari debuit.
Mortuus tandem anno mundi reparati M. L. XXI.
Sedis suæ, X.

LAMBERTO ZVLÆ
ODE VIII.

QVousq; demùm nostra nisi exteris
Abblandietur purpura mentibus?
Pedumq; vernarum pudore
Hospitibus nisi velitabit
Illustre dextris? INFVLA *confluos*
Quousq; cinget Cracia vertices?
Pulchrosq; Præsulum decores
Colla ferent peregrina tantùm?
Et cùm paternus sæpiùs INFVLæ
Nidus capaces porrigat indoles;
Domiq; non desint; benigno
Quos gremio tulit in Mitratas
Natiua Sedes terra; per aduenas
Extraneorum diuidimus manus:
Spretoq; natali Vauelo
In peregre Cathedram petitos


 Episco-

Episcopalem ponimus inscij
Longùm lacertos. Sequana GALLICO
Quos tam maritatus Garumnæ,
Quam Rhodanus rapidis citatus
Intinxit vndis: vel Tiberis suis
Quos fouit vlnis Ausonius; pij
Exactor aut Rhenus pudoris
In rigido madefecit amne:
Ac si Polonus non itidem daret
Honore dignos Vistula, qui pari
Virtute cum externis valerent,
Præsuleas agitare partes.
Pudet vaganti quærere calculo
Extrà educatos Pontifices, domi
Habere cùm possis. Coronam
Indigenis retinemus ipso
Ab vsq; Piasto regiam; & exteræ
Beata fronti seruiat INFVLA?
Vt quisq; non noster gubernat,
Vix aliquo caret ille motæ
Plebis tumultu. Sat regimen bonum
Natura paruas inter apes dedit:
Externa non tamen ceraste,
Adueniens ibi gaudet amplo
Aut vespa Sceptro. dulcia deuorans
Non mella fucus, non species api
Diuersa mellitæ; sed illa
Quam similis dedit esse prudens

Natura

Natura formæ præsidet impigræ
Regina genti. Non aquilam vagus
Regit coronatam palumbes,
Non olidæ dominantur apris
Vrsisq́; capræ: cum timidis nihil
Coruo columbis: grus sequitur gruem,
Passerq́; passerem, palustris
Anseribus sociatur anser.
Et nos Poloni propria Nominis
Si cura tangit; pulchra domesticæ
Donemus Indoli theatra,
Omnipatens videatq́; mundus.
Et hic sacrato Pontificum quia
Mens apta fasci est: Præsuleis quia
Par semper indoles Tiaris
In Lechico reperitur orbe.
Ego ista dixi non sine debito
Feruore Vates. intrat alacribus
Conclaue cum vectus quadrigis
Pulcher Honor, studijsq́; nullum
Locum relinquens, solicitus diu
Diuersa tandem vota coordinat,
Propensus in ZVLAM *Polonum:*
Prompta statim cui se Ministram
Fideliorem porrigit INFVLA:
Pedumq́; gaudens in meritam manum
Venisse, prensari inquilinâ
Dulcè sibi putat esse dextrâ.

STANISLAVS SZCZEPANOWSKI.



BInâ purpurâ Illuſtris SZCZEPANOVIVS,
Pontificiâ, & Martyrij:
Quamnam ſplendidiùs habuerit? dubium.
In Pontificatu facere nihil potuit, quod Orbi non innoteſceret,
In Martyrio, quod non oſtenderet pugilem.
Patritijs & Equeſtribus in Polonia exceptus cunabulis,
Vt ſanguine, ita virtute præſtare voluit;
Quæ quia illuſtrior cum literis;
Ideo Gedani primas velitationes,
Pariſijs eruditionis ſeria abſoluit.
Illinc redux LAMBERTO ZVLæ acceſſit,
Sub quo Canonicis potitus faſcibus,
Epiſcopatui ſtatim prælusit factus diuini Verbi præco.

Alter

Alter sed Sanctior Pericles,
Cuius tamen fulminibus suæ non defuerant gratiæ.
Non ardere tantùm, sed & lucere doctus,
Non sciuit solùm sed & locutus DEVM.
Ab obitu LAMBERTI ad Insulam vocatus, ita Insulam suscepit
Vt cum CHRYSOSTOMO Pastorē se non mercenariū promitteret.
Ne MARTINIS Turonensibus, vel NICOLAIS Myrensibus esset minor,
Fecit, quod MARTINI vel NICOLAI fecêre.
Sibi abfuit, ex quo alijs adfuit:
Pontificij enim pedi eadem ratio est, quæ throni;
Sibi esse desinit, ex quo aliis præesse incepit.
Porro Poloniæ fasces tenebat BOLESLAVS,
Qui ex ingenti factorum magnitudine Audacis sortitus nomē,
Bellorum rudimenta victorias habuit.
BOHEMIAM, SILESIAM, HVNGARIAM, VKRAINAM,
Triumphali emensus pede
PRINCEPS:
Sub quo Mars etiam tyronem egit; Stipendariam Fortuna.
Sed enim ad Kijouiā dū hybernat; Polonus Annibal emarcuit
Et qui palmaribus adoreis militare ornauit sagum,
Togam, quam pace coronare debuerat, vitiis dehonestauit.
Insolentis victoriæ genio,
Quæ in Superbiam elata, pulchrū triumphū quē vincendo fecit,
Insolescendo corrumpit;
Nescia sibi imponere frenū, vbi felicitatis petulātiā stimulatur.
Ita Vkrainæ, Russiæ Victor sui vincendi immemor BOLESLAVS
Annibalem quidem egit, sed qualem inuenit Capua;
ALEXANDRVM; sed qualem deprehenderunt Bactra:
ANTONIVM vel IVLIVM;
Sed qualem Ægypti, & Cleopatræ lenocinia reddiderunt.
Miscor-

Misero Herculi ingentia alibi monstra domanti
In memoriam non venit *fusum*:
Et quòd *laureato etiam Duci*
Timenda sit belli alea, in vitiorum pugna.
Vnde ab hostium collis, ad muliebrem colum;
A missilibus telis, ad telam;
Ab ignibus armorum, ad amorum tædas transfuga;
In omnem abijt licentiam,
Pessimo in subditos exemplo;
Cùm ea est conditio Principum, vt quidquid faciant, præcipere videantur
Iuit post BOLESLAVM Polonia:
Nec enim aliò excurrere nôrunt subditi,
Nisi quò dirigunt Maiestatis vestigia.
STANISLAVS autem indoluit ad tantum nefas,
Et audacter scrutatus nebulas, quas Augustus contraxit Titan,
Monet, obsecrat; saniora arripiat consilia
Neq; malis suis factis populo noceat,
Cui exemplo magis quàm peccato officit:
Nouerit se publicum in terris Solem.
A Sole in subiecto hoc orbe lux aut tenebræ:
A Principe apud subditos, praua pleraq;, aut recta.
Imperatoris vita vitæ populorum est index:
Quæ in indice continentur;
In libro contineri non dubitandum.
Regnantium facta subiectis faciendi sunt regulæ:
Quæ vbi mala fuerint,
Peccantium subiectorum culpa omnis, penes regnantes.
Pessimus deniq; morbus in homine, qui à capite procedit,
In Republica, qui à Rege.
Monuit taliter STANISLAVS:

Sed

Sed lapsum semel in peccandi consuetudinem, non facilè à peccatis reuoces.
Zephyrus ad hæc pæne pergitur,
Cum ad honestum testudinem agere placeat.
Vita hominis virtuti quidem vasalla;
Vitijs tamen libentiùs homagium præstat.
Magnitudinem suam peccandi licentiâ mensus Rex
Non libidini, non furori modum posuit.
Ergo non proficientibus verbis descensum ad anathema.
At infremuit statim ad fulmen hoc Regnator Enceladus:
Nec enim lucem tantùm, sed & ignem habet purpura,
Vrit potenter vix tangitur.
Et cùm aliunde ansam inuenire non potuisset
Innocentissimo Præsuli rapta PETRI bona per summã calumniã obijcit
Adeò rarum hoc fortunæ beneficium,
Vt virtutem impune loqui liceat.
Delicti in Maiestatem arguitur,
Si quis eius non blanditur erroribus.
Lædere videtur, & si medicum agit,
Quisquis emendare satagit peccantem Thronum.
Sic mala sunt dominantium vulnera,
Vt citrà dolorem tangi non sustineant.
Quæsita Consanguineorum PETRI testimonia,
Sed fides his in seruilem timorem submissa:
Quod metuerent offendere Principem.
Quasi non potior sit veritas, quàm Regum gratia:
Et innocentiæ non plùs debeatur, quàm Maiestati.
Cælo proinde peti suppetiæ debuerant.
Vocata de terra veritas, vbi PETRVS de tumulo:
Stupentibus tamen ad rei prodigium omnibus, nihil motus BOLESLAVS
Pro Pastoralibus monitis reddidit cædem,

Ad ſacram aram occiſo crudeliter STANISLAO.
Infame ſatis ferrum quod taliter maduit,
Niſi infamior adhuc & facti enormitas:
Dum furenti Principi non ſatis eſt extitiſſe parricidam,
Ni ſimul & ſacrilegus fieret:
Nec ſtetit hîc impietas:
Non poteſt tam facilè recipi ratio
Vbi animum occupauit furor
Sceleſtus omnis, ſimul ac rabiei indulſit, ſtatim & induruit.
Exſangue Sancti Pontificis corpus in fruſta diuidi
Ac campis diſijci jubet BOLESLAUS.
Verùm & hic militem CHRISTI non deſtituunt Aquilæ.
E quatuor mundi partibus conuolant volucrum Reginæ
Acturæ excubias ad Sancti Martyris membra
Diceres venerabundas Aues alis ſuis vmbraculum feciſſe,
Ne Cælo vel mundo enormis pateret laniena.
Vel quia Polonæ Aquilæ ſoboles fuit STANISLAVS,
Ideo plures ſui funeris habere voluit ſpectatrices Aquilas
Annus autem fuit Domini M. LXXIX.
Quo STANISLAVS gladijs impiorum occubuit.

STANISLAO SZCZEPANOVIO
ODE IX.

QVò Te tyrannus, quò furor impijs
Inſtructus armis in rabidas agit
Dolende BOLESLAE *cædes?*
Quò furijs agitata ſæuas

Mens

Mens tractat iras? mucroq; in exteris
Nuper decorâ non sinè laureâ
Grassatus aruis, in Polonæ
Tecta ruis violente ferro
Natiua Gentis? quò pia barbaro
In templa nisu sacrilegè gradi,
Vel in STANISLAI *mitratum*
Dextra ferox parat ille collum?
Vt vana semper palma; domesticis
Quæcunq; tantùm crescit in areis,
Vt arma sordent; subditorum
Quæ fluido maduêre tabo;
Sic nulla laurus pulchrior; hosticis
Quàm nata campis. Turpe quod abditur
In Ciue ferrum; præstat ensis,
Qui tumidum iugulauit hostem.
Suscepta laudo prælia pro altero;
Pugnare pro te cùm haud habeas opus:
Nam nulla pulchrior corona,
Vt propriam retinere gentem.
Et ille pulcher Mars, domitum tibi
Qui dat Tibiscum: supplicibus Belæ
Dum motus exulis petitis,
Pannonicis inopina victor
Opponis armis signa. Bohemico
Et ille rursus Mars tibi nobilis
Tabo VRATISLAO *Polona*
Suppetias vbi ferre virtus

 Tuum

Tuum putauit. Kijouienſium
Et illa latis laurea te decet
Inſerta campus: & POLOSCI
Excidium, famuloq́; junctus
Ille ille manceps Sala Boriſtheni
Albisq́; cum Oſſa magnificos tibi
Nectunt triumphos. Arma jam iſtis
Si qua placent aliena campis;
Pudet Gradiuum tam miſeris noua
Inire ſignis bella: nec aureas
Bellona gratantèr coronas
Spectat atrox, quoties Lechæa
Has format incus. Ipſi alibi placent
Et riui & atri, ſanguinis aluei:
Hic gutta fædat innocentis
Profluuio patefacta Ciuis.
Quò parricidæ, quò raperis miſer
Furore dextræ? quò? decorum immemor
Ruis BOLESLAE, *& furenti*
Igne micas, velut icta ſævo
Dipſas veneno? Quàm meliùs ſui
Victrix triumphat Purpura; laureis
Quàm digna Majeſtas trecentis,
Si ipſa ſibi dominando pulchrum
De ſe triumphum ducit, & efferæ
Captiua reddit regna licentiæ.
Quàm Sceptra longæuùm perennant
Incolumis ſtudioſa Myſtæ.

Sed

Sed heu! furenti fabula dicitur
Ignaua monstro. Marmarico furit
Leone sæuior Tyrannus,
Præcipiti magis ardet vrso.
Ter arma jussi ferre; ter irritis
Offensus armis militis, exprobat
Imbelle pectus. Ipse crudo,
Ipse miser violentus ense
In templa frendens irruit, & pij
Vittata scindit tempora Præsulis,
De Rege carnifex. Secutus
Prosequitur mala cæpta miles:
Hicq; ora stricto findit acinace,
Hic immodesto verbere nil reos
Detruncat artus: ille pectus,
Innocuam ferit iste dextram.
Sic ira Regum; sic quoties furor
Fas vltra & æquum sæuijt impotens:
Magistra criminum est Corona,
Discipulus populus. *Scholaq;*
In hac furoris rarus Isocrates,
Qui promptiorem non Theopompum amet,
Et Ephorum damnet: capaci
In vitijs nimium scelesto.

LAMBERTVS.



DIſcant deniq; Mortales;
Quod ſcelerum fabri ſibi ipſis mulctam cudant.
Nulli impunitum ſcelus, ne quidem Principibus:
Vindicta vni loco non adſtringitur;
Quò ſceleſtus fugit, eòdem & illa ſequitur.
Negatur culpæ latibulum, vbi veſtigat vindex Nemeſis.
A Romana arce fulminatus BOLESLAVS Audax,
Delicium olim ſubditorum, jam omnium odijs mactatur:
Pro ſolenni vitioſorum more,
Vt à quolibet vitio ſuas cataſtas habeant:
Parato ſemper tortore malâ conſcientiâ,
Et quâ nullus unquàm ingenioſior ad tormenta lictor.
Hanc igitur carnificem euaſurus

In

In Pannoniam profugit:
Quasi scelera non potuissent in eo loco vindicari,
In quo poterant fieri.
Ibi incertum, quo fato è viuis abijt
Seu immissâ sibi violẽter morte sceleribus proprijs pænas dedit,
(*Suos enim quodlibet vitium Martyres habet*)
Seu in venatione finiuit vitam.
Impius Actæon in prædam cedens canibus,
Quos barbarè nimis STANISLAI corpore pascere voluerat.
Carinthia tamèn melior pro BOLESLAO fama,
Quasi turpissimam vitæ Scenam pulcherrimo epilogo clauserit:
Dum acturæ pænitentiam Purpuræ superinduit cucullum:
Adeò malè opinantur
Qui magnos viros inter mortua semina virtutum,
In sola vitia nasci putant.
Noluit hanc victimam manibus suis STANISLAVS
Quam DEO maluit litatam.
Sanctitatem suam miraculis si probare voluit,
Maximum illud erat
BOLESLAVS correctior:
Prodigium namq; est emendata in meliùs pessimi hominis vita.
Major erat Polonorum cura Sancto Martyri
E cælo nostram calamitatem contemplanti,
Dum Romano anathemate tam diu teneremur
Vaticano Ioue GREGORIO VII.
STANISLAI cædem in nobis grauiter vindicante.
Quadriennium igitur fulminatricem cùm pateremur manum,
LAMBERTVS, Canonicus Cracouiensis, missus,
Qui Tonantem illum redderet nobis mitiorem.

Et

Et patuit tunc
Quod etiam Romæ Iubilea ſubinde ſint & gratiæ,
Non ſemper anathemata:
Porta Sancta non Othomanica.
Nam damnatæ interdicto Lechiæ plenaria indulgẽtia conceſſa.
Vnica hæc, ſed propitia in Gentis Polonæ legatum vindicta,
Quod erubeſcere juſſus Pontificali purpurâ.
Reducem LAMBERTVM Patria læta excepit,
Iuditha verò
Dum VLADISLAVM Hermanum.
Poſthumam potiùs famam quam prolem relicturum videt,
Egregij Principis conjux pijſſima,
Non jam pro Betulia ſed pro Filio ſolicita
Aſſiduò cælos placat, pulchrâ faciant ſe prole Parentem.
Optima Fæmina, Mater Patriæ dici erubuit
Quæ regnaturum non dediſſet Filium:
Minùs in acceptis referens Fortunæ,
Licét orbem Polonum teneret, ſi ſimul & orbitatem.
Et erat quidem Hermano Filius Zbigneus.
Verùm is non aliunde notus, niſi quia nothus.
Sereniſſimam IVNONEM non leuiter offendit,
Quod marito Ioui, ſuæ non deeſſent Alcmenæ.
Pati potuit vtcunq; thori ſui injuriam,
Si in Herculem incidiſſet.
Sed is quouis vertumno leuior
Liberrimæ Sarmatarum Genti regnaturus non videbatur,
Qui ex Serua natus eſſet.
Româ ſolâ in throno SERVIVM ferente,
Sed tunc, cùm libertatem necdum deguſtaſſet.
Punge-

Pungebat optimam Dominam & proprius dolor.
Obſcurabatur enim regnatrix ſerenitas
Per illas illegitimi ortûs Eclipſes,
Informis ſatis imago viſa,
Quæ non à Maternæ nobilitatis, ſed ſpurij ignis fumo
Diceretur fumoſa.
Atq; diu his curis anxia
Quod ſocietate thori diuturnâ habere non potuit,
LAMBERTI conſilio obtinuit.
Qui cælitibus & maximè Diuo ÆGIDIO ſupplicandum ſuadens
Regnatrici Fæminæ appromiſit fore propitium,
Cujus opem vel ipſæ beſtiæ experirentur.
Non defuit fidei Iuditha, vt nec auxilio ÆGIDIVS.
Ad corpus Sancti Abbatis
In Narbonenſem Prouinciam miſſis Legatis
Triduanâ ſupplicantium ibidem Monachorum facundiâ
Fæcunda redditur noſtra Princeps:
Ægidio cervâ ſuâ celeriùs ad opem decurrente.
Non ſine admiratione,
Quòd ad ſupplicum voces humana viſcera haberet S. Confeſſor
Qui famelicus olim feræ paſcebatur vberibus.
Ita obſtericante Ægidio natus Iudithæ KRIUOVSTVS,
Vel ideò maximus futurus Heroum,
Quòd naſcituro, pro muliebri Lucina, Vir eſt adhibitus.
At breui puerperio ſuo immortua Iudith
Vnum niſi peperit, quia Leonem.
Deſperante alium partum naturâ,
Vbi tantum prodigium edidiſſet ſemel.
Decennio prægnat & elephas,
Sed tamen non alium parit, niſi elephantem.

Satis tamen se vixisse credidit felix Mater,
Postquam superstitem Filium reliquit.
Quæ optimis LAMBERTI consilijs habitura gratias
Cracouiensi Ecclesiæ muliebrem suum mundum consecrauit.
Sacerdotum in eadem Basilica Collegio Cropēsem Comitatū.
Aliquantùm tantæ Principi superstes LAMBERTVS,
Postquā S. STANISLAI lipsana in Basilicā Cathedralē translata
Meliori donauit tumulo,
Ipse itidem mortalium cumulo accingitur
Anno inter mortales nati DEI M. C. I.
Cum sedisset annis VIII.

LAMBERTO
ODE X.

ET quis iacentem sustulit anchoram?
Legitq; classis fragmina naufragæ
Te præter? ô LAMBERTE! nostrum
Delicium, melior tuorum
Apollo Vatum. Non ego Lechici
Addicta dicam pectora Principis:
Tuoq; non ego Iudithæ
Vota canam satiata suasu.
Illa, illa dicam, quæ violentius
Pressêre nostram fata Liburnicam,
A morte STANISLAI vt ipsos
Intrepidus Palinurus ibas
Aduersùs Euros: non satis integrus
Vt torua scandens æquora linteus,
Non naufragaturus pauentem
Visus eras recreare puppim.
Nil est Quirites, nil placido mari
Curam natantûm sumere Classium:

Hic

Hic quisq; sufficit, sereno
Ipsa ferunt vbi vela cælo:
At turbulentis dum fremuit mare
Motum procellis; prora petit Virum
Nauis laborantis peritum,
Æquorei veteremq; claui.
Et cum citato sæuus inhorruit
Fragore nimbus, turboq; cærulas
Commouit inquietus vndas
Fluctisonis agitatus Austris,
Coruiq; vasto gurgite noxias
Ostendit iras, sæuáq; nauticis
Minata tempestas carinis
De medijs Nabathæa promit
Portenta lucis; imperiosius
Vel cum malignis septus ab Africis
Procedit Æolus, grauemq;
Fert hyemem comitata canis
Arctos pruinis: aut vbi turgida
Immanè frendent Acroceraunia;
Illic gubernator periclis,
Solicitè repetendus illic
Rector carinis. Intonuit satis
Procella nostræ trux onerariæ,
Sentiret vt puppis, suæq;
Adgemeret Cracus ipse Vandæ:
Tu naufraganti tu melior datus
Tutela Classi; tu trepidantibus
LAMBERTE *Nauclerus carinis,*
Tu in dubia Palinurus aura,

SVO & ORBIS VNIVERSI
MAGISTRO CHRISTO DOMINO
Pro prima Antiſtitum Crac: Decade Euchariſticum.

NAm cûi prima decas; ni Tibi mancipem
Se tradat famulam: cûi mea barbitos
Se ſubdat Domino; ni Tibi ſe & ſuum
Supplex CHRISTE det entheum.

Stagnantem volucris non ego Pegaſi
Optaui fluuium; non Aganippidum
Muſarumq; choros, Tu docilem mihi
Traxiſti potiùs manum.

Quod prenſo calamum, quod patiens premi
Scribentem referat pagina dexteram,
Tu me poſſe facis, Tu mihi Cynthio
Plùs largiris Apolline.

In Te ſola mihi ſpes, quòd aheneum
Reddes ingenium mollius, & dabis
Ex ſe difficilem Muſam alio meam
Efferueſcere ſpiritu.

Me verò occiduus ſiue reliquerit
Sol, donet nitidum ſiue oriens diem
Et voto & precibus ſolicitus Tuam
Implorabo potentiam.

BALDUI-

BALDVINVS GALLVS.



AD CESLAVM deflexerat Cracouienſis INFVLæ felicitas;
Sed quia ſine Vaticanis auſpicijs,
Ideò malo omine diuertiſſe viſa.
GVALLO ſiquidem Pontificius Legatus
Pro Apoſtolica juriſdictione acrior Orator.
Vt vt Polonorum Aquilæ in ſublimè ſemper euolent,
In Eccleſiaſticis tamen honoribus
Romanarum niſi Aquilarum adminiculo eluctari poſſunt.
Acephalus omnino eſt honor,
Quisquis inconſulto ſummo capite ſumitur.
Violenta & non per portam in dignitatum domos irruptio,
Si ſine claui PETRI.
Niſi Piſcatoris annulus apponat ſigillum,

Principis etiam collatio vim suam & robur non habet.
Petra Romana pro angulari sit lapide,
Si INFVLAS in solido stare volumus.
Dissoluuntur statim honorarij Ecclesiæ fasces,
Nisi ille liget, penes quem ligandi atq; soluendi potestas.
Mater Orthodoxorum si est Ecclesia,
Meliùs cum benedictione materna spirituales fasces prēsantur.
Adorari hoc Numen debet,
Quod vicariam post DEVM in terris habet potestatem.
Hactenùs pro Roma GVALLO.
CESLAVS interim Apostolicæ jurisdictioni non refragaturus,
INFVLAM etiam è capite præ reuerentia deposuit.
Imposita hæc BALDVINO
Qui ab omni ambitu alienus
Quò longior à fastu erat, eò fastigijs visus propior.
Cracouiensi Ecclesiæ
Pro dote virtutes intulit, cum dote honorem.
Honorat enim, non honoratur;
Quoties culmina capessit emerita virtus.
Vir per omnia magnus,
Et cujus natalem Galliam nunquam puduit,
Poloniam Pontificis nunquam pænituit.
Ecclesiæ suæ prouentus omnes in pauperes distribuit,
Optimè sciens,
Pontificibus tàm largum patrimonium ideò datum,
vt quâ venâ affluit, hâc in pauperes effluat.
Malè nimis;
Si ex Spiritualibus bonis, quæ tenent, solis Episcopus est benè.
Dispensari vult ex his Ecclesia,
Quæ apud eos in deposito habet.

Percepta

Percepta credit; sed de expensis rationem initura.
Episcopalis prouentus Oceanus est; multos necesse irriget.
Vectigalium omnium fructus
Potiori ex parte ad pauperum fiscum pertinet.
Aliàs *innodat conscientiam Pontifex,*
Si Christi & Ecclesiæ pecuniâ lasciuit, tanquam suâ.
Tam multis tamē beneficus BALDVINVS, Cathedræ suæ extitit iniurius,
Quod nonnisi annis quinq; præfuisset,
Præsenti in meliorem vitam mutatâ
Anno Dni. M. C. VIII.
Dignus cælo, quòd viuens nunquam homines deseruit.

BALDVINO GALLO.

ODE XI.

QVis te remoti gloria Sequanæ
Huc misit æther? Parrhasio dedit
Quæuè Vrsa de cælo? Polonas
Vt teneas nouus hospes oras
MITRAMQ; *Craci: Pontificum sacris*
O! digne semper BALDVINE *Purpuris*
O! digne quem & nostræ dicatis
Sarmatiæ quoq; vota Templis
Sequantur vltrò. Non calamis opus
Leuiuè cannâ, sed lituo & tubis,
Grauiq; concharum fragore,
Munificæ tua si quis optat
Decora dextræ dicere: Fertili
Tu sæpè Nilo fertilior, fluens
Non ostijs septem, nec vno
Arua semel madidans in anno,


Sed

Sed mille semper defluus alueis:
Sed mille riuis prodigus, vt tuas
Accessit ad ripas egenus,
Largifluum petijtq; portum.
Iam verò quantum dedecus Infulæ
Illiberalis Præsul; in vnicum
Si largus est seipsum, nec aras
Aut inopes didicit beato
Donare censu: si sibi vel suis
Aperta tantum dirigit ostia
Et clausa templis: sanguinisq;
Si proprij nisi cura regnat,
Vel aucta multis turba nepotibus;
Et pauper exul dapsilibus procul
Arcetur à mensis, & ipsa
Templa gemunt miserè feraci
Exuta fructu. Non ego, non mea
Thalia plorat; sed grauior suas
BERNARDVS *hic promit querelas,*
Qui supero similis Tonanti
Non verba mittit, sed rigidis satis
Instructa nimbis fulmina, dum queri
Non cessat, vt Christi bonorum
Tam miserè teneatur vsus:
Superba postquam nonnisi prandia
Et nota priscæ vix Mareotidi,
Primaq; vix probata Romæ
Continuis habeantur horis:

Ostrumq;

Ostrumq; cunctis splendeat angulis,
Diuesq; latis parietibus Tyrus,
Et multa de argento supellex
Niliacum superans tumorem;
Et templa & aræ sæpiùs interim
Neglecta sordent; & sacra ad vltimam
Damnantur interim ruinam
Obsita puluueribus vetustis.
Quin quàm frequenter nuba relinquitur
Vel ipsa Sponsa; vt sæpius hispida
Incedat ac inculta, tristi
Vt toties miseranda vultu.
Iam verò custos Sponsæ hilares dies
Et læta ducit sæcula; mollibus
Iam verò hic incubat tapetis
Cum ipsa graui premitur grabato,
Hæc questus olim temporibus sui
BERNARDVS æui Gallia Præsulum
Non vidit olim mæsta vitam
Et doluit similes quoisq;
Spectauit ausus. Tu melioribus
Instructe pridem BALDVINE moribus
Assurge felix, & columnam
In medio tibi fige cælo.
Et pone molem, quam violæ integra
Quam prata cingant, quam teneræ rosæ
Laurusq; vernantesq; palmæ
Et virides decorent cupressi.

MAVRVS GALLVS.



ATHlantem hunc dicerem, quia MAVRVM
Nisi natalis Gallia Herculem potiùs ostenderet.
Sed & hic succollando polo sufficit.
Natione GALLVS, Romæ à teneris educatus;
Tempestiuè orbem circumire cæpit,
Vt non tam Euristheo, quàm nato ad maxima quæq; stimulo
Labores assignante, monstra domaret.
E quibus primũ illud portentũ ruditas, ab hoc Hercule vincitur,
In Scripturis Diuinis apprimè erudito.
Profuerunt hæ exuuiæ palmari Alcidæ,
Quia dignus habitus,
Qui Pontificium apud Nos Cracouiæ cælum sustentaret.
Eâ tunc Poloniæ necessitate,
Vt nisi Athlantes vel Hercules Cathedris substitueret, actum egisset.

Optimum Principem VLADISLAVM Hermanum
Nacti fueramus Poloni:
Quia tamen bonis ſtirpibus agnaſcuntur ſtolones,
Tam nobilem boni regnantis imaginem
Suus ſanguis maculauit.
Non quidem ille, quem Diui ÆGIDII precibus Iuditha debuit,
Sed is, qui ex pellice genitus
Legitimam Hermani conjugem, nouercam fecit.
Et fuit id, quod olim ab Hercule timuit IVNO,
Quia ſpurius VLADISLAI Zbigneus Sceptra præripuit Patri,
Nec in aſtra lentâ venit, vt BACCHVS, viâ,
Sed iter ruinâ quæſiuit.
Nimia tamen Patris indulgentia
Dum plùs æquo illegitimæ proli concedit,
Se languori & morti, BOLESLAVM KRIVOVSTVM legitimum Filium
Mille poſtea difficultatibus inuoluit:
Zbigneo non aliam offenſam ad BOLESLAVM habente,
Niſi quod BOLESLAI felicitatem
Et ſubditorum in eum amorem pati non poſſet.
Inſita mortalibus natura,
Aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere.
Vix illa proceſſerit, inuidiam ſtatim comitem habet.
Inuidus quippe carnificem ſentit alterius fortunam;
Si propitiam viderit:
Pyraticæ omnino adinſtar indolis,
Quæ leuibus cymbis parcit, onerariis infeſtiſſima.
Laborabat MAVRVS cum alijs EPISCOPIS
Vt diſcors fratrum par componeret,
Sed arduum eſt Fratres componere, niſi diuidas:
Seruijſſet inconſtanti genio, niſi ita ſæuijſſet BOLESLAVS.

E voto igitur Ciuium in exilium pulsus Zbigneus
Majores exule animos concepit:
Fratris oblitus qui contra Parentem quoq; fuerat impius,
Scelerata vipera in Matrem sæuit,
Concitato in Poloniam HENRICO Cæsare hujus Nominis V.
Et egit Scenam vt Henrici ambitio, ita Polona virtus,
Nisi quod læta hæc nobis, HENRICO tragica,
Altiore cothurno, quo superbè gradi voluerat,
Rosciium suum eludente.
Nimirùm,
Sæpiùs & Cygni triumphant de Aquilis, lacessiti:
Et Leones subinde sanguine abstinent,
Non quòd prostrasse tantùm contenti, sed quia non potuerunt.
Non ita magnis iurata felicitas,
Vt eis minor quoq; non minetur.
Frequentiùs in suo sanguine mergitur
Qui alienum fundere sperauerat.
BOHEMVS Ductor occisus,
Germanorum copiæ canibus in pabulum datæ
SKARBEK Polonus Alemanico Porsenæ timendus Scæuola.
HENRICVS diminutis viribus tenuior
Vinci meruit, qui nolebat nisi superbè vincere,
Militaria Classica epithalamium BOLESLAO cecinêre,
Marte & Bellonâ jam Paranymphis,
Qui nuper bellorum ductores fuerant.
Egit grates exercituum DEO Polonia, sed maximè MAVRVS;
Qui non imbellior ad aras Orator,
Quàm BOLESLAVS ad focos bellator,
Abundè se ad victoriam contulisse ostendit,
Dum victoriarum datorem DEVM placauit.
Æquè

Æquè enim in palmarem gloriam laborant,
Tam qui hostem armatus frangit,
Quàm qui inermis, solis nisi munitus precibus,
Devm pro victoria flectit.
Eiaculatoriæ ad Devm si fundantur Orationes,
Acutiùs sagittis vulnus hosti infligunt.
Moysis compositæ in bello palmæ triumphales metunt palmas
Addensatos barbarorum cuneos, meliùs oris gladius frangit,
Quàm dextræ insertus mucro.
Et sanctior quispiam Pericles si linguæ fulmina iaciat,
Laureatos etiam vertices deturbat.
Sulphuratis fæta tonitruis nubila facile pellit orationis incensū.
Sed enim tantillâ quiete dum gaudet Mavrvs,
Nouus iterum turbo oritur,
Zbigneus fastuosus nimiùm ex exilio hospes.
Debuerat statim febris hæc imminutione sanguinis curari;
Sed mitius pharmacum placuit Boleslao
Non aliud exigenti supplicium,
Nisi vt Zbigneum videret supplicem.
Et assumpserat is supplicis personam,
At non diuturnus in hac Scena actor.
Donatus enim Patriâ exul,
Vbi modestè Poloniam intrare debuerat,
cum tubis atq; tympanis
Prælato more Principum stricto gladio ingressus,
Mavri & aliorum Episcoporum intercessionem
Ac Krivovsti patientiam irritauit.
Adeò in magnis etiam fastus habet, quia odium creat.
Principum morbus superbiæ tumor,
Quem subditi quoq; tanquam venenosum ferre non possunt.

Ferrum

Ferrum igitur in turbulentum hominem decernitur,
MAVRO siue ob timorem Majestatis facinus dissimulante,
Siue dignam pænam inquieti capitis judicante,
Haud quieturi aliàs, nisi tali exitu:
Et facilè exarsuri in incendia, nisi tempestiuè opprimeretur in fomite.
Nec diu istis superstes MAVRVS
Dum Basilicam Cracouiensem dedicat,
Dum supellectilem sacram recenset,
Et in omnibus boni Pastoris partes agit.
Moritur Anno Dñi. M.CXIII. postquam Episcopum egisset annis IX.

MAVRO GALLO.

ODE XII.

QVæ scena? vel quæ non truculentiùs
Est acta MAVRO *& visa tragædia?*
Dum natus è scorto pudendâ
In Lechiæ populos laborans
Zbigneus irâ, jam immeriti Patris
Iam fratris hostis, jam Patriæ suæ
Tyrannus ingens, impotenti
Plùs nimio tribuit furori.
Sic est Quirites, sic quoties throni à
Thoris aberrant: vel Domini Ioues
Taurum repræsentando ponè
Sidonias reboant Iuuencas;
Ledæq; clausæ vel Danaës probum
Tentent amorem: pulchraq; fætidam
Calisto in vrsam desitura
Egregijs magis æstimatur

Formosa

Formosa damis: dum Semele suo
Superba congressu, in medijs probat
Proci potestatem iacentis
Fulminibus, teneramq; gaudet
Electra dextræ jungere dexteram:
Vel Maia magni non mediocriùs
Probrum Parentis, prona pellex
Illicitos flagrat inter æstus:
Nil quod probrosum, nil ab adulteris
Quod turpe non sit dedecus ignibus,
Sic orta dum proles frequenter
Legitimis inimica Natis
Famam Parentum dedecorat: suô
Dum vel timendus nascitur Hercules
Ioui, vel Orion comato
Numinibus metuendus igne,
Orbiq; pellex nota Helena, & pyra
Parata Troiæ, quâ Priami domus
Parisq; flagrârunt, & in qua
Pæne Phrygum procus arsit orbis:
Vel turbulentâ Perseus indole
Iræq; semper mancipium suæ:
Potator aut Bacchus, nigrosq;
Ipse bibo prior inter Indos,
Furumq; princeps Mercurius. Sed heu!
Iungendus istis, quem Lechico dedit
Puella scortatrix Tonanti,
Ille sui opprobrium Parentis

Zbigneus


Zbigneus effrons, qui vacuo volens
Regnare mundo, regia passibus
In astra non lentus venire,
Sed rapido voluit volatu
Arces paternas eripiens, nouo
Et rapta iungens mœnia robori
Datâq; non semel rebellis
Progenies veniâ: suoq;
Patri superstes, rursus in optimum
Fratrem scelestus consilijs agens
Illam redordiensq; telam
Quam Lechicus nisi voluit ensis.
Gemit, dolendum! MAVRVS, ab aspero
Dum mota spectat fulmina Theutone,
Motore Zbigneo procellas
Dum Lechicus videt ire campus:
Gemit, dolendum! MAVRVS, & vltimam
Iam poscit horam, dum miser aspicit
Vt Marte Germano superbus
Spe nimiùm esuriente nostrum
Henricus orbem deuorat, & suæ
Confisus æquò plùs Alemaniæ,
Stipendiarijsq; multum
Albicolæ tumidus Bohemi
Turmis Polonas despicit alites;
Feroxq; Genti subdita liberæ
Tributa præscribit, petitam
Si cupiat retinere pacem.

At

At Fata rebus non ita perditè
Offensa nostris, vt vigilis preces
Et vota MAVRI, *Lechiciq;*
Egregium specimen laboris;
Et plena Martis pectora, regium
Portantis ostrum, cassideq; auream
Velantis ærata coronam
Haud tegerent, validisq; promptas
Non adiuuarent auxiliјs manus.
Nam nunc superbus; mox toties suos
Dum spectat Henricus cadentes,
Ac aciem satis esse nullam
Qua non auaris in miseram ruant
Prædam Molossis. millia proprij
Prostrata militis: tumentis
Iam capitis minor expetitam, &
A se negatam, mitior appetit
Vltrò ipse pacem: bella gerentium
Ductorq; signorum Gradiuus
Fit positis Paranymphus armis.
Tum concha lætum Sarmaticos sonat
Io! per agros: crudáq; duriùs
Bellona quo nuper flagrauit;
Lætus in hoc fouet igne tædam
Hymen jugalem. Sed Lechiæ videt,
Dum cuncta MAVRVS *prospera, non priùs*
Tumbam sepulchralem subintrat,
Quàm reliquus canat ista Lechis.

Virtute Miles, non numero tuas
Metire vires, tunc numerat benè
Si quando computator enſis
Non numerat, ſed atrox potentes
Infligit ictus. Robora computat
Polona quiſquis, non itidem æſtimat,
Errat; frequentiùs ſecuris
Frondifluam ſecat vna ſyluam.
Compacta pugnant corpora fortiùs,
Minora quamuis, imò in agentibus
Vis vota non in ſolo agente eſt,
Et patiens redagit: chalybsq;
Si quando candens calfacit algidam
Immiſſus vndam; protinus algidam
Et ipſe frigeſcit per vndam.
Et glacies licet æſtuantem
Accepta dextram infrigidet; illico
Et hanc tepentem frigida dat manus,
Et gutta quæ extinguit calorem
In calidum ipſa redit vaporem.

GAVDENTIVS *SIVE* RADOSSVS.



HVc gaudia & plausus;
Formosa vetus premit omina nomen GAVDENTIJ:
vel ideò, quod Polonus iterum
Pontificiam Cracouiæ reassumpserit INFVLAM.
Duo Galli hactenùs illam tenuêre
Quasi bonus odor virtutum apud nos quoq; non fuisset,
Nisi à Galliarum traheretur lilijs.
Sed ostendit RADOSSVS
Quòd & nobis non desunt eiusmodi Hortensij,
Gentilitiam ROSAM pro Lilijs substituens.
Non exuberantis quidem doctrinæ,
Sed sufficit si pro Pallade virtutem habuit.
Puritatis studiosissimus
Musas coluit, esto non doctas, Virgines tamen.

Eruditam ſatis Mineruam ratus, dum pudicam;
Nobili hinc & doctrinæ ſuæ argumento.
Nam pellere vitia animi, & ad cognitionem ſui venire,
Hoc verè ſapientis eſt.
Fruſtra ſcimus omnia, ſi virtus non diſcitur.
Ad ruditatem mens redit,
Quæ literis tantùm, non item probitati ſtudet.
Doctus vel ſine literis Benedictus,
Poſtquam parùm doctus eſſe maluit, quàm parùm Sanctus.
Procliuior tamen in choleram,
Sed nimirùm ignis vitium erat.
Vniuerſi naturam deſtruit,
Qui has elementi reliquias in homine non ſuſtinet.
Igneos quoſdam nobis impetus natura dedit,
Quos ſentire, vt nihil humanitati aduerſarium
Ita diu illis non aſſentiri, heroicum.
Quemadmodũ in hoc pugilatu non ſemel victor GAVDENTIVS.
Infelicitatis tamen aliquid habuiſſe viſus,
Quòd ſub ſuum Epiſcopatum & Cathedralis Eccleſia
Et Cracouia ipſa penitùs tota conflagrauit.
Fortuitone? neſcitum:
Magis creditum, quòd ſubornato clam à Bohemis incendio,
Capitalibus tunc in nos hoſtibus.
Qui fuerintné nocentes vel non? minus impedit:
In iniquas nobis illo tempore animas
Iuſtè tali ſuſpicione laboratum.
Communi hôc per hoſtilitatem viuentium pœnâ
Vt non ſuorum modo facinorum
Sed & interdum alienorum infamiâ laborent.

Sed

Sed incendio conflagrauit Ecclesia, vt illustriùs assurgeret:
Ignem passa vt à flammis reluceret,
Redux siquidem à Martialibus tubis KRIVOVSTVS
Auream lyram insonuit;
Et statim Serenissimus Amphion lapides euocauit
Qui in muros ascenderent.
Sic ex incendiarijs flammis triumphales ignes nati,
Penes quos Augusta BOLESLAI liberalitas eluxit
Qui vel ideò reparatis templis in cælos munificus esse voluit,
Vt haberet DEVM Inquilinum
Quem per prælia habuit armorum socium.
Nec contentus muros tantùm excitasse egregius Princeps,
Supellectilē quoq; dedit veste pretiosa auro argentoq; nobilē
Papiliones diceres commilitoni DEO.
Et mirum adeò bellis occupatum BOLESLAVM
Sanctiori huic liberalitati intendisse;
Nisi quod ad palmarem gloriam conferre credidit,
Et manubijs hostium datam superis portionem.
Victori animo eadem semper est triumphi ratio,
Et hostem à se reddere victum, & se DEO deuinctum.
Non amat nisi spolia illi appendere,
Quem scit victoriarum Dominum.
Huic contrahere palmam
Non palmarium putat, nec è triumphali mente.
Ad tàm illustria verò fumantis Cracouiæ rudera
Accensa & GAVDENTIj liberalitas.
Nam ad veterem numerum
Viginti adhuc Canonicis per KRIVOVSTVM adjectis
PONTIFEX decimas attribuit.

Purpuratus CHRISTI Miles
Pulcherrimum militaris mulctæ arbitratus genus;
Si suo, quem in cælis coleret, Imperatori potuit decimari.
In eo tamē KRIVOVSTI vel maximè erga GAVDENTIū apparuit reuerētia
Quòd Regiæ collationis suæ beneficia
Arbitratui ejus reliquerit distribuenda.
Nec Nummus apud hoc Numen
Vota sua nuncupantium valere voluit,
Aut affinis sanguinis placere hostia;
Sed cui virtus dedit suffragium, is apud GAVDENTIVM dignus
Quem Ecclesiasticæ Fortunæ Sacerdotio
Melior, & extra Euphormionis Satyram, Doronisus initiaret.
Quos dum ita initiat,
BOLESLAO in hostes digresso, & paulò post fatis concedente
GAVDENTIVS quoq; obiens Polonos luctu implet
Anno partus Virginei CIↃ. CXLI.
Concessis gaudijs per annos XXV. quibus Ecclesiæ præfuit.

GAVDENTIO
ODE XIII.

ABsiste luctus. Nil querulo iuuat
Dolore mergi. Gaudia Lechicis
Festiua nam campis RADOSSVS
Spargit ouans, grauibusq; nimbis
Horas tumentes pellit: ab exteris
Hucusq; prensum dum manibus pedum
Rursum reassumit Polonus,
Præsuleis aliumq; non fert

Gaude-

Gaudere Mitris; Indigenas nisi
Lucina cunas cûi famulans dedit,
Et nota Vistulæ propago
Sarmaticis cumulauit aruis.
Absiste luctus. Nuper ab ignibus
Quicunq; Cracum depopulantibus
Audes redordiri, probroso
Quando Lechus inimicus Albis
Furore plenus non valido sua
Probauit in Nos Marte odia; hosticis
Non arma tractauit cateruis
Tum grauibus metuendus hastis:
Curuo minacis nam satis horridus
Vmbone scuti sed placuit fero
Pro Marte vulcanus fluento,
Qui Siculo rapiens edacem
A folle flammam cuncticremum excitat
Fumosus ignem fomite torridas
Spargitq; nutrito fauillas:
Vnde Craci eximiis sceleste
Admota tectis tæda volatili
Passu deerrat: Flammaq; turbidis
Proserpit excitata ventis
Per domuum tabulata quæq;
Miser RADOSSVS *quem querulus videt,*
Quæ & quanta crescunt damna Cracouiæ,
Quis ignis in templis & vrbe,
Vsq; ferâ stimulatus irâ

Iam tecta Diuûm, jam Phydias vorat
Vulcanus artes: jam grauè baiulis
Incendium mittit columnis,
Iamq; sacras populatur aras.
Sed serpit ignis; clariùs emicet
Vt liberalis laus KRIVOVSTIJ,
E Marte qui Amphion coronato
E Lechico Ioue qui canorus
Orpheûs sonoram vix tetigit lyram,
Chordasq; dextrâ munificentiùs
Vix mouit aureas; & ecce
Largisonis animata sistris
Et sylua, & omnis confluit arbutus:
Syluestris ilex, glaucaq; populus
Succincta tum comas, & altis
Verticibus releuata pinus:
Fortiq; quercus prædita robore,
Ingensq; crassis frondibus æsculus
Tum saxa tum rupes vocantur
In solidos coitura muros.
Sic est Quirites. Regia conuenit
Cum sole multùm Purpura. Non amat
Sol esse parcus; sed globosum
Lustrat, adit, speculator orbem:
Vultumq; semper munificum vibrat.
Nec hæc tenacem sustinet indolem:
At larga prout cunctis; ita ipsa
Munifico videt ore templa.

ROBER-

ROBERTVS.



ROBUR est hucusq; anagrammaticè ROBERTVS,
Quod olim sinè literarum inuersione fuit.
E Vladislauiensi ad Cracouiensem translatus Cathedram,
Non absq; admiratione tunc temporis advenam eligi,
Vbi integra adhuc erat de medio sui Canonicis electio.
Sed suam habet virtus libertatem.
Monasticâ Professione in locum non jurat, sed in merita.
Vagabundum calculum circumferre non erubescit,
Vbi capessendis fastigijs potior foris indoles, quàm domi.
In Ecclesiastica disciplina Palinurus, abundè prospexit,
Ne in remigibus Officialium suorum laboribus aliquid deesset:
Vbiq;, & Argo & Argus.
Si quæ tamen, Nauis illius; Nauis institoris de longè portans panē.
Perijsse diem existimauit sacratior TITVS,
Quoties viduis, orphanis non prouidisset.

 Vltro

Vltrò erogans, ne rogaretur:
Æmulo solis beneficio
Qui sponte suâ se se ac non poscentibus offert;
Vel fluminis; quod vltro erumpit, vt irriget.
Viderint Euclionés illi,
Quibus difficilius obulum è manibus extorqueas, quàm Herculi clauā.
Vix pulchriùs quisquàm æternitati suum inscribit nomen,
Quàm profusa in Dei pauperes manus.
Manus egeni, Abrahæ sinus est:
Vbi quidquid mendicus acquirit, mox reponit.
Gazophilacium cælitum, precaria inopum dextera:
Quod hic suscipiunt, in terra ne pereat, conseruant in cælo.
Nec tamen in pauperes solos, sed in Cathedralem quoq; Ecclesiam
Liberalis Pontifex.
Quam ita excitauit KRIVOUSTUS,
Vt & illius libertati suus concederetur locus.
Augustiori spatio cæptam, perfectamq; dedicauit VENCESLAO Martyri,
Nimirùm flammis hactenùs exustas sacras ædes, illi Principi,
Cujus ignita pedum vestigia in niuibus aliquando ardebant.
Incendio deuastati parietes non frigidum exambiuêre Tutelarem,
Sed qui foco assuetus in Regali purpura pistor,
Consecrandas in sacro altari hostias pinsere non erubuit.
Egregius Aquilifer
Magnifico applaudens operi in gyrum hucusq; contorquet vexillum,
Quasi triumphare velit ob præfixa sibi apud Polonos statiua.
Plura parabat Venceslao & Ecclesiæ ROBERTUS,
Sed magnas cogitationes mors impedijt A. D. M. C. XLIV.
Cracouiæ in Insula nonnisi II. concesis, VLADISLAVIÆ XVII.

ROBERTO.
ODE XIV.

VIx cura sancto Præsule dignior,
Vix maior vllus Pontificum labor;
Quam velle id vnum, liberalis
Vt maneat memor vrna cordis.

Prompsat

Promptas nec illuc mittere gratias,
Quò pompa ducit, vel male diffluens
Quò sæpe prouocare luxus
Condidicit, sed eò sacrata
Quò templa poscunt, quò Superûm decor,
Et orphanorum vera necessitas:
Casæq; pauperum mapales,
Quò viduæ, tenuesq; quouè
Vocant egeni. Promere dexteram
Istis benignam, non sterilis satis
Sementis est famæ, & futuræ
Materies operosa laudis.
Nec est timendum, deficere vt penu
Quandoq; possit: munificâ manu
Hic quidquid offers: penè totum
Fructificat meliore censu.
Cisterna quæuis rariùs integras
Tuetur vndas, quod rigido nimis
Has servat in claustro, nec extra
Vndifluos adhibet meatus.
Iam verò Fontes irrigui, vaga
Iam verò quantùm Flumina latiùs
Augentur & crescunt, apertè
Quæ potiùs didicêre largis
Manare riuis: quæ retinent nihil,
Cæpere quidquid: quæ subitò fluunt,
Postquam tumescentes videntur
Deciduis aliundè lymphis.
Sic ille nostræ Vistula *Lechiæ,*
Notus vel ipsi Balthi, & in vltimis

Notus Britannis, ampliori
Quò virides rigat amne glebas;
Quo plena multis uberiùs vehit
Frumenta Regnis; hòc citiùs statim
Confœderantur & minores
Non inops Fluuij tributum:
Dum Bugus *alto defluus alueo,*
Latóq; spumans Naruia *margine,*
Veprusq; Popradusq; *purus,*
Dum vitreo properus fluento
San *flexuosis ductibus irruit,*
Qui de paternis viribus Istulam
Dant ditiorem; Ormusianæ
Vt tumeant aliquando ripæ,
Quas ille portat, mercibus: ut suus
Eoa remus verberet æquora,
Et de coronatis carinis
Vistuleos capiat fauores.
Sic Tu futuris fabula sæculis
Non vana viues Craciacum decus
ROBERTE, *cûi pecuniarum*
Auriferum toties dedisse
Est visa nimbum dextera, cûi pia
Vel tecta Diuûm, vel populi malè,
Per summam egestatem gementes
Quod meliùs valuêre, debent.
Hîc nostra nam quod distribuit manus
Diuina rursus restituet: manet
Haud segne nam cælis metallum,
Quod miserum hîc inopemuè ditat.



SIbi ipsi indignatur hic calamus,
Quod Persium agere debeat, qui voluit Claudianum.
Nisi quod excusabilis & ille sit, vbi veritatis est confessio.
Pasquinus enim non encomium facta immerito homini laudatio.
Iniuriat bonos,
Si quis ijs eodem calamo velitat, quo & malis.
Se infamat stylus, quicunq; infamibus famam appingit.
Amare videtur, qui non vituperat vitia.
Non calamus sed Infula ipsa infamiam suam vindicat,
Quam subire debuit immeritum operire coacta.
Rata se nunquam miseriùs, quàm in hoc capite substitisse.
Nec enim ad Pontificatū suffragata MATTHÆO Virtus, sed pecunia:
Dolente Cracouiensi Collegio, quod talitèr corumpi se sineret Honor.
Sed siue verens siue reuerens Principem, MATTHÆUM suscepit,
Ne illo repulso, crimen læsæ Maiestatis diceretur.

Maximo tàm nominantis quàm nominati dedecore:
Nam vterq;
Et Apostolicæ Sedis & Regiæ collationis gratiã contaminauit.
Pulcherrimas Virgines Gratias testatur Poësis,
Iam quicunq; Simoniacus illas aut emit, aut venum exponit;
Facit Meretrices.
Honestissima sit puella, suspicione non caret, quæcunq; quæstuaria;
Mercede prostitui pariter si vult Gratia, eò ipso fit iã prostibulũ.
Vtcunq; dici casta voluerit; passa aut passura nefas creditur.
Egit postea MATTHÆVS Pontificem
Sed cui maxima laus visa est à Coco.
Oblitus se ad maiora genitũ quàm vt mancipiũ esset sui ventris.
Legatis Regijs aliò, quàm quò honestas duceret, ductis
Ostendit indiuiduam luxûs comitem, inuerecundiam.
Ac tandem Annis XXII. in Episcopatu exactis vitæ finem inijt
Saluatoris nostri Anno M. C. LXVI.

MATTHÆO.

ODE XV.

S*Eucrioris Carmina pectinis*
Assume Clio: Magnificæ nihil
Panegyres dant; à loquaci
Degenerant vbi facta laude.
Infamis imò pagina, garrulis
Quæcunq; tantùm ex Elogijs tumet;
Si nulla virtus est, fauentem,
Quæ potuit meruisse chartam.

Hinc

Hinc esto vellem relligiosius
Intaminandam nunc seriem tuæ
MATTHÆE *concinnare vitæ;*
Et calamum pudet; & sonoram
Mendace magnum pollice barbiton
Pulsare probrum est. Aut ego mentiar
Aut vera si narrem, pudendis
Non faueat mea Musa gestis.
Ipse ipse venter Te grauioribus
Damnat querelis, quod nimius Tui
Amator abdomen, gulosis
Multa vorans oneras saginis.
Ipsa ipsa missis Regia Nuntijs
Hucusq; læsam se queritur; minus
Quando verecunde expedisti
Mercurios Lechici Tonantis.
Pudor sacratæ est & tamen INFVLæ
Si quando Præsul deuiat à bono:
Si negligit palmas, honesti
Quas poterant generare mores.
Sed inuidendam quò mea Pieri
Chelyn mouemus? sat benè vindicat
Camæna MATTHÆVM; *relictum*
Si tacito premit ore nomen.

GEDE-



NOuum iterũ calamo solatium, nihil habere INFVLæ offẽsiuũ.
Quæsierit enim id palmarium Euphormio, VT LÆDERET;
Amicus modestiæ Stylus
Conuenientiùs putat ad Panegyres conuerti, quàm ad Satyras.
Cum humanius sit gratulari dotibus naturæ, quàm vitijs irasci.
Et plebeium nimis ingenium sapiat in sacram lasciuire purpurã,
Quam revereri satius existimat vera verecundia.
Ergo qui à solicitudine hac me absoluat, est GEDEON.
Qui MATTHÆO succedens supposuit humeros sed inuitus:
Benè gnarus *non in solis fastigiis magnitudinem positam:*
Verumq; honorem consistere
Non in titulorum splendore, sed in iudicijs hominum.
In culmine constitutus, Gryphius cum esset è natalibus ceris,
Aure-

Aureis se montibus custodem datum credidit,
Sed vt Promum potiùs ageret, quàm Condum.
MIECHOVIÆ
Custodibus sepulchri CHRISTI attribuit manipulares decimas,
Vt ita noui illi ex terra sancta hospites
Venientes venirent cum exultatione portantes manipulos suos.
Verus vel exinde GEDEON,
Quòd necessitati Religiosæ excuteret atq; purgaret frumenta.
KIELCIS Collegiatæ Ecclesiæ, Vanchociæ Cisterciensium Fundator
Nihil potiùs habuit, quàm beneficus viuere,
Nihil infeliciùs, quàm si alicui liberalis esse non potuit.
Sic Vesuuius est in magnis animis, liberalitas:
Beneficas flammas tenere non potest, statim illas eÿcit.
Seu vehementior Nilus: obstantia perrumpit; vt inundet.
At GEDEON non esset, si belli & Patriæ non sentiret pericula.
Pulso VLADISLAO II. vxorio nimiùm Principe
Et thori amantiore, quàm throni
Successit BOLESLAVS Crispus.
Sed cujus cincinnos non ita adamauerat Felicitas,
Vt delicatam comam nutriret.
Duriorem adhibuit pectinem,
Et qui ad dolorem vsq; coronatum caput pecteret.
Non Prussicis tantùm aut Russicis, sed & Alemanicis armis petitus,
Exule VLADISLAO incentore.
Qui & sibi,& vxori Imperatoriâ domo ortæ molestũ exilium sentiens
Affinis sui, CONRADI, Cæsaris, arma concitauit
Molestat interdum ambitiosum animum amissæ fortunæ recordatio,
Quia paratum statim Martyrium
Natalibus Serenissimum esse, & penuriâ miserrimum.
Nec defuit sanguini suo CONRADVS.
Germanorum, Bohemorum, Morauorum copijs plenus
Poloniæ fines ingreditur.

Sed terrere potiùs, quàm terere vires noſtras potuit,
Sumpto iam per KRIVOVSTVM argumento
Quod vna noſtra, bicipiti etiam tunc ſuffecerit Aquilæ.
Et ita quidem ſe geſſit CONRADVS, vt æquitas ipſa dictauit.
Non in VLADISLAO tantùm,
In BOLESLAO etiam & alijs Fratribus ſuum ſanguinem agnoſcens,
Themidis potiorem reſpectum habuit, quàm Bellonæ.
Venientis ad ſe vltrò CRISPI rationibus motus,
Et quis fuiſſet in Purpura VLADISLAVS, edoctus; dimiſit Exercitũ,
Lætis GEDEONE & alijs, quod penes bonũ Principem remanſerint;
Malus enim à bellua non differt:
Qui dum Regem ſe agere putat,
Monſtrum potiùs exiſtimatur, quod ſubditi pauent.
Ita Fortuna poſt tragicam Scenam, lætius interluſit.
Crudele inflixit vulnus, vt medelam deinde adferret;
Achillis adinſtar, qui ijsdem armis ſanat, quibus læſit.
Sed queri nunquam ceſſat calamitas.
Mortuo CONRADO iterũ FRIDERICO BARBAROSSæ ſupplex VLADISLAVS
Ad pedes etiam cum Filijs procidũus, miſericordiam petit,
Quàm ſupplicibus taliter, quondam Fratribus teſtari noluerat.
Superbo nimirum homini ſuam vicem rependerunt Cæli:
Nam caſtigandis hominum peccatis aptiſſimam pœnam inuenit DEVS,
Vt non ingenioſior ſit noſtra malitia ad ſcelus,
Quàm iuſtitia Diuina ad vindictam.
Miſeriâ ſupplicãtis motus Fridericus vbi per Legatos Exulẽ nobis inducere nõ poteſt
Pro caduceo adhibet clauam.
Nec defuit ſibi Polonia;
Aperto quidem campo pugnare non auſa,
In ſuppetias tamen euocauit Vulcanum
Addictum ſemper Marti Numen, vbi de Hoſte, non de Venere agitur.
Quâ progreſſurus erat cum exercitibus ſuis Barbaroſſa,
Hâc depopulatus omnia igne Criſpus;
Vt ita ſubtractâ hoſtili multitudini annonâ, mitiorem hoſtem redderet.
Patuitq;

Patuitq; parùm posse sine Cerere Bellonam.
Famelico exercitu pronior ad pacem Cæsar, Vladislai quidē partes egit,
Sed vt in vnica Silesia eidem concessa quieuerit,
Non ausus inuitis populis exosum Principem imponere,
Qui pro se & rationes & arma opponebant.
Pacatis talitèr rebus felix videbatur Sarmatia,
Vbi pax & tranquillitas illam respexerunt.
Sed vt humanarum rerum inconstantia est, vultum mox subducere;
Nec enim vlla vnquam sine nube serenitas.
Fugata nox, diem statim non adfert, sed crepusculum.
Quiescere potest tempestas; non statim tamen tranquillum mare.
Defuncto Crispo Polonum thronum noua ascendit bellua,
MIECISLAVS Senex.
Auarus omnino Princeps,
Et qui sanctum imperij nomen in tyrannidem vertit,
Crux potiùs Ciuium, quàm Dux
Polonos omnes intolerabilibus tributis obruens.
Quasi non sordidè regnet in vacuos Ciues Princeps,
Et non turpiter omninò infletur caput,
Si vt se augeat, cætera membra deficere facit.
Vix speranda Regnis Pax, si quæ Rex adimit Ciuibus, facit sua.
Quæ relinquit, adhuc habet cum illis communia.
Nemo ausus deglubenti Majestati obsistere:
Populusq; Polonus
Crudelem Iouem, nequit cum dicere, sensit.
Vnicus GEDEON lentâ priùs censurâ vtendum ratus,
MIECISLAVM secretò monet.
Correctio quippè culpam non exprobrat, cui mederi satagit.
Indiscreti censoris increpatio non est, sed conuitium.
Desperatus morbus, cui vltima remedia adhibentur
Calcaribus & stimulis non opus, vbi poppysmata sufficiunt.
Reprehensioni maximè moderatio adhibenda,
Quæ sanabilia ingenia distinguere sciat à deploratis.

 Blan-

 Blandis dura frangere polities quædam est.

Nam vt muralia tormenta, si duris obuiant, frangunt;

Mollibus cedunt vltrò:

Ita & crudum ingenium duris exasperatur, lenibus mollescit citiùs.

Ejus tamen ingenij MIECISLAVS

Vt illi non monstrari debuerint remedia, sed inculcari.

Quare secretis admonitionibus postquam nihil prof cit Episcopus,

In publico Senatorum congressu Censorem agit.

Nec ibi quidem atrocibus statim remedijs,

Sed Sapienti commento,

Et vbi sub indolentis dilaniato gregi suo mulieris, imagine

Propriam iniuriam deploraret Patria.

Prudenti Pontifici

Tutissimum suauissimumq; monendi genus illud visum,

Quo malus Princeps non ita offendi, vt emendari potuerat.

Corrigendis hominum moribus cum impar plerumq; natura est;

Optimè sapientia it obuiam.

Seueritas si offendit,

Benè mutata persona sumitur, quæ sub imagine tangat vitia.

Absurdè tamen regnantibus nihil acerbiùs, quàm veritas,

Fabulosis etiam velata inuolucris.

Offensus GEDEONI MIECISLAVS minitans è Senatu se proripit,

Vt abundè colligi potuerit

Non Poëtarum tantùm, Principum etiam genus furore corripi.

Acrior nihilominus ad occupanda pericula virtus, quàm ad irroganda crudelitas

E votis Senatorum dejecto MIECISLAO, CASIMIRVS surrogatur lustus.

Sub quo iterum de pauperibus merendi porrecta GEDEONI occasio.

Inoleuerat in Polonia priorum Principum conniuentiâ

Barbarus inter Proceres & Equites mos,

Vt quotiescunq; iter facerent, vbicunq: collibitum esset,

Agros atq; prata agrestium & oppidanorum depascerentur.

Quæsita tanto defectui medela,

Sed ingentium malorum remedia, raró suis periculis cárent.

Peruersis multorum opinionibus

Peccata illa minuuntur, quæ potentibus accessêre.

Quasi in hoc felices sint, si impunè peccare licitum habeant.
Vt cuiq; vtilior erat, ei magis licentia illa defendebatur,
Pessimo in iudicijs more, *vbi sua cuiq; pro decreto vtilitas.*
Vocatis tamen Łanciciam GEDEONE & septem alijs Episcopis
Tàm indigna Christianis populis consuetudo abrogata.
Instituta præterea Synodus, in qua graue anathema stetit,
Si quis eiusmodi barbariem vlteriùs attentâsset.
Nimirùm
Benè, si Principes & optimates instar solis micant,
Feranturq; per varias domos æquali semper lumine conspicui:
Nec in eo dignitatem suam ponunt,
Vt fortunis humilioribus non permittant tranquillè suam noctem ducere.
Vix aliquid superstes GEDEON
Viuere desijt Anno Dni. M.C.LXXXVI. regiminis sui XX.


GEDEONI.
ODE XVI.

COrusca quædam fulmina Principes
Sunt imperantes. Mollibus abstinent
Plerumq; nec lædunt; rebelles
Si inueniant nimiumq; duros
Omninò frangunt. *Cautiùs obuiat*
Hinc quisq; prudens Regibus, & thronos
Audacter haud statim lacessit
Sed potiùs veneratur illos
Quos esse terræ non dubitat Deos.
Tu verò auitis edite Gryphibus
Qui Censor, ac quantus! Poloni
O! GEDEON *basis vna mundi:*
Ibas leuatum vulnera, quæ Lecho
Inflixit atrox Purpura climati,

Delicta

Delicta curabas furentis
Assiduus monitor coronæ
At blanda vultu gratia, comitas
At pulchra verbis, at nihil asperum;
Esto MIECISLAVS *tonante*
Indiguit toties Pericle.
Sic quippe verus Censor ab impetu
Abhorret omni: parciùs horridas
Mouere sic nouit procellas,
Ac modicos adhibere nimbos,
Qui vult mederi. Promptiùs indoles
Humana flecti nouit, atrocitèr
Quàm verò confringi. Flagello &
Verberibus sonipes repugnat,
Poppysma blandum quem magis excitat.
Nec virga quidquàm proficit, aut graue
Calcaruè substrictumuè frenum,
Sed placidæ monitoris artes.
Secus, rigore ac cœde minabitur
Si quis furenti, si nisi fulmina
Infesta mittet, cuspidatis
Pectinibusue rotuuè damnet,
Si vel catastas perpetuò aut Cruces,
Si mille semper funera deuio
Intentet erroni; tyranni
O! facies rediuiua monstri,
O! cruda rursus barbaries redux:
O! vel libussis orta Leonibus
Natura, vel crudelè sæuis
Progenies male nata Pardis.

FULCO



CONſpiratũ eſt à Minoribus Polonis contra CASIMIRVM Iuſtũ.
Hungaricum bellum prætendebatur;
Reapsè autem erat non contentata quorundam auiditas:
Vt potè æſtuantium agrorum ſitim
Non facilè quibuſuis riuis expleueris.
Ingratiſſimum beneficij genus de vniuerſis mereri;
Priuata gratia meliùs rependitur.
Itaq; morante in Ruſſiâ CASIMIRO, MIECISLAVS reuocatur.
Nec teſtudinibus ille ad purpuram vectus,
Sed citis itineribus Cracouiam veniens apertas portas inuenit.
Pronis eorum ſtudijs,
Quibùs mitiſſima ſors regnorum videtur *ſub rege nouo.*
At FVLCO
Cui ſemel jurauerat; non ita Majeſtatis ireuerens,
Cùm

Cum Nicolao Fratre, Palatino Cracouiensi, arcem clausit Miecislao.
Benè sciens, quòd truculentum satis ex se hominem,
Magìs adhuc purpura efferaret.
Egit vtriq; grates superueniens Casimirvs,
Et geminum par Fratrum, Castorem & Pollucem, veneratus,
Quòd amicis amborum Sideribus
E turbido illo secedentis populi ponto enauigasset felicitèr.
Documentum relinquens, Principibus quantùm boni addant Ciues,
Quod cum Sole, idem cum Principibus.
Hos Ministri; illum destituant Sidera, desiderabitur aliquid:
Vtcunq; è suo potissimè Sereno luceant;
Phosphori tamen vel Hesperi opportuna habent obsequia.
Gradum ad futuras præteriti meriti lauream arbitrans FULCO,
Cæpit vlteriùs de Casimiro mereri.
Eò fideliori obsequio,
Quòd non corpori tantùm, sed & animæ seruierit.
Optimus enim Principum Casimirvs.
Ita tamen; vt inter maximas virtutes, vitia admitteret.
In libidinem pronior:
Fugiendam hanc Casimiro suadet Fvlco, & verecundiam seruandam
Quia cura pudoris nunquam est nimia,
Tam nobilis virtus ingenio debet comparari; si natura desit.
Iniurium deniq; asserit
Vt Marti Polono vnus puer Cupido imperet.
Honestiora semper connubia dicens Bellonæ, quam Veneris.
Ex meretricio concubitu
Non pulchram prolem nasci, malam famam.
Illicitarum tædarum fumo Regalem denigrari serenitatem.
Vt vt audiatur Russis Hercules Casimirvs,
Sua tamen Iòle illum deturpat.

Videat,

Videat, quantùm sociæ legitimi thori Dejaniræ
eiusmodi offendantur pellicibus.
Graue nimiùm erit Orbi Sarmatico cælum,
Si spurijs Sideribus implebitur.
Non offensus his CASIMIRVS, vtpote ille,
De quo majoris pudicitiæ spes iam haberi potuerit, licet nondũ fiducia.
Laborandum igitur consuluit Pontifex,
Donec bona mens esset, quòd bona voluntas fuerat.
Fecit CASIMIRVS, vt humanæ vires ferebant.
Et Tutelari Regni FLORIANO deuotior
Sequenti die, dum Proceribus conuiuium instaurat,
Inchoato de immortalitate animi, & cælitum beatitudine, sermone,
Vix mediocre satis poculum euacuat; mortem ebibit.
Magno FVLCONIS dolore,
In tã modico Scypho, tam grande optimi Principis naufragiũ inueniri.
Neq; tamen defuit FVLCONI occasio merendi de CASIMIRO,
Si non in CASIMIRO ipso, at in CASIMIRI Filio,
LESCO ALBO,
Eò majore grati Senatoris elogio
Quò fideliùs posthumo etiam seruierit,
Ab extinctis cineribus præclusâ referendæ gratiæ, spe.
Plerisq; enim beneficia eò vsq; obligatoria, dum videntur exolui posse;
Vbi exoluta, pro gratitudine, odium recipiunt.
At non ejus ingenij PEłKA:
Vacuo Poloniæ throno:
Dum hinc MIECISLAVS senex, inde Opoliensium Dux,
Nouus vterq; Tantalus aurei pomi siti laborant;
NICOLAVS & FVLCO pro Helenâ & LESCO steterunt.
Et fuêre multi, quibus Sarmatica hæc Tomyris
Cum Filio suo non placuerat:
Indignum rati: puerili manui Sceptrum porrigi,
Cui ferula conuenisset magis.

Sed euicit horum duorum authoritas,
Quibus nullum aliud pro LESCO suffragium,
Nisi CASIMIRI Parentis optimè de Republica meriti, memoria.
Adeò defuncti etiam Principes viuitis in gratis Ciuibus
Marmoribus insculptitis, quæcunq; memoribus inscribitis beneficia.
Ambo igitur pueri Principis tutores destinantur,
Summo, penes HELENAM, Imperio relicto.
Et ecce nouus Paris
MIECISLAVS Senex
Qui non tàm in Helenam, quàm in subiecta Helenæ Regna ardens
Ægré tulit prælatam togæ bullam in purpura capessenda.
Per cæsa igitur capita thronum ascendere proposuit,
Vbi vota Ciuium non fecerant gradum,
Tanquàm miser populus faciliùs duorum Principum ferro sufficeret,
Quàm Imperio.
Nec defuere LESCO multi è Polonis, ductore NICOLAO,
Cui à lacte tantùm, non item a sanguine abstinere solenne.
Vbi ad pugnam descensum,
Victor primó Lescianis, secundò dubius Mars ad Mosgauam fluuiū.
FVLCO non quidem præsens castris,
In vicinâ tamen villâ anxius de belli euentu.
Dum irritis & infensis tantùm armis vtrinq; descensum rescit,
Cracouiam, vbi HELENA cum Filio hæreret,
Reliquas copias deducendas suadet.
Secutus consilium NICOLAVS:
Milesq; didicit, fuisse tunc, & in Pontificiâ togâ,
Quod Martiali etiam sago non inglorium erat sequi.
At tempus erat,
Vt palliatus MIECISLAVS pro galeâ, laruam assumeret.
Vbi Leo nihil egit; vulpem induit.
Regnatrici Fæminæ persuadet,
Sanctiorem esse, & suam & Filij LESCI sortem,

Bracteatum dominium est sub illa FVLCONIS *&* NICOLAI *tutela.*
Quid cum summo Imperij titulo Helenæ?
Si penes duos subditos potestas.
Maiestas nomen tantum est, si illi non datur supremum velle,
Sciret se patruum esse destinati sceptro pueri.
Amicos vt tacitus testis,
Tempore, Fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus
Imminui, transferri, desinere;
Suum cuiq; sanguinem indiscretum, sed maximè Principibus,
Quorum prospera & alij fruuntur, aduersa ad iunctissimos pertinent.
Proinde cederet tantisper sibi Purpuram,
Lesco vbi adoleuerit, redituram.
Persuasa his credula mulier, curatoribus nequidquam aduersantibus,
Cessit Purpuram MIECISLAO,
Incapax scilicet sceptri, cui natura assignauit colum.
Sed Sendomiriam cum Filio deducta
Dum MIECISLAI promissa expectat, & repetit,
Recipit *Magnificum nihil.*
Ita HELENA aptior inueniendæ Cruci, quàm Sceptro.
In LESCO ALBO CONSTANTINVM peperit,
Cui statim suus non deesset MAXENTIVS.
Ergò doctiorem reddidit calamitas, quæ sub Fortuna sapere non didicit.
Quorum priùs consilia contempserat,
Dimissis circum Proceres literis opem implorat.
Adsunt primi NICOLAVS & FVLCO,
Euocatæ Sendomiriâ HELENÆ tradunt Cracouiam.
At stulta iterùm Mulier,
Deuoluente in FVLCONEM & NICOLAVM culpam
MIECISLAO ob promissa non præstita,
Ac manumissionem NICOLAI, suadente,
Dū omnia timet, & omnia credit, in MIECISLAI casses incidit.
Adhùc miseram prædam liberare voluerat NICOLAVS,

Abundè ostendens, cujus esset MIECISLAVS fidei.
Sed cum incapacem sani consilij Fæminam videt.
Ingratam vlturus mulierem,
Posnaniam ad MIECISLAVM contendit, operam pollicetur.
Ita non ferunt contumeliam magni illustresq; Viri:
Quos vbi irritaueris,
Impotentiâ animi ad multa indigna impelluntur.
Spoliatus omnibus cū Matre Lescus, nec mitiorē expertus MIECISLAū,
Primò didicit, quàm mendaci monstro Purpuram cesserit.
Ingenti quidem MIECISLAI infamiâ,
Nam verbis Principis maior debet inesse fides, quàm aliorum iuratis,
Abiectissimi animi est, mentiri & fallere.
Regum Maiestas quò Diuinitati propior, eò & veritati.
Tàm diu rerum inops Helena,
Donec mortuo MIECISLAO Polonus iterùm thronus vacauit.
Prona in Lescum Polonorum studia.
Verum in læsis semel animis relictum vulnus,
Cicatricis non admonet, sed vindictæ.
Propitijs alijs FVLCO & NICOLAVS aduersati Lesco,
Indignum Purpurâ Helenæ Filium rati,
Qui hactenùs non fuisset Constantinus.
Cessere tandem & ipsi, sed cum ea conditione,
Vt si regnare vellet, relegaret à se Gouoricium.
Is erat Palatinus Sendomiriæ,
Non aliundè NICOLAO inuisus,
Nisi quod non minori gratiâ apud Lescum polleret.
Communis hæc in Aulis infirmitas, zelotypiâ quâdam laborantium,
Quia quiuis Principis sui amorem sibi vni solicitat impensum;
Neq; in alios arctiorem beneuolentiam diffundi patitur.
Prout quisq; ambitiosior est,
Demi sibi existimat, quidquid alteri accedere potest.
Parata statim inuidia, Regis in aliquem inclinatio: Et

Non placuit Lesco adiecta de Gouoricio conditio,
Ideò Purpurâ etiam non indui,
Quàm fido Consiliario exui malens
Excusauit Diadema;
Quod nobilem gemmam; bonum Ciuem ferre non posset.
Additum insuper responsum, non tantam sibi dominandi esuriem,
Vt tanquam ad famelicum veniret cibus,
Regium honorem auidis faucibus expectaret auidè:
Bene se sibi regnare, etiam sine Regis titulis.
Qui si venirent; nomen tantùm accederet, & apicis tituli
Sine quibus magnus animus esse potest.
Placuit multis magnanimitas hæc Lesci non itidem NICOLAO:
Et ideò ad Lasconogum deuoluta Purpura,
Sed nec hic in illa diù paludatus,
Eò quòd in homine quieto non is Mars & indoles visa,
Quæ in Lesco apparebat, fusis recenter Haliciensium Ducis copijs.
Documentum mortalibus:
Quantumuis egregiam in Rege virtutem posse contemni,
Nisi fortitudinis accedat opinio.
Fortunam suam ex Regnantium successibus populi æstimant,
Vt quis horum vel vnica dote caret;
Iam omnia sibi deesse queruntur subditi.
Eligendo igitur Principi noua Comitia indicta, è quibus Rex Lescus.
Maximè vbi NICOLAVS viuere desijt,
Mitiore iàm vt sanctiorem togam decebat, in Lescum FVLCONE.
Sed hactenus Senatoriâ Purpurâ illustris FVLCO;
Ad Pontificiam quoq; Purpuram non erubescet.
Ab VRBANO III. Veronæ consecratus
Primum sibi & successoribus locum
Post Metropolitanam Gnesnensem impetrauit.

Facturus hanc Ecclesiæ suæ gratiam,
Quam Archiepiscopali prærogatiuâ exutam non nescijt.
Inde *Ordinem Minorum* in Poloniam deduxit,
Magnitudinem suam vel exinde probans,
Quod sciret *Minores* hos æstimare.
Quibus nihil maius Assisinas dedit, quàm cùm appellauit *Minores*
Gelido Polonorum Septentrioni
Commodissimè Seraphico FRANCISCI igne ardentes Fratres aduenêre.
Insigne præterea pro valetudinarijs hospitale erectum, ac prouisum
Fratribus S. SPIRITUS *de Saxia* attribuit Słaucouiæ.
Pontifex
Curâ sibi commissi gregis, in Religiosos Ordines beneficijs
Maximus:
Et in quo tot Reipublicæ negotijs occupato
Prodigium erat, Pietatem, cum sæcularibus curis conuenisse.
Moritur tandem Anno Dni: M.C.C.VII.
Vbi Ecclesiæ Cracouiensi vixisset annis XXI.

FVLCONI.
ODE XVII.

Est & Polono non humilis mihi
Lustrare fastos Sarmatiæ calor,
Est & domesticus Latinam
In Chronicis retinere Musam
Decorus ardor. Sæcula sistite
Vexata multis sistite casibus,
Quæ vel MIECISLAI *superbo*
Pressa throno, titubante Lesci

Vel mæſta ſceptro, multotiès graues
Dediſtis annos, aruaq; ciuicum
Spumare feciſtis cruorem
Indigenis pluuioſa bellis.
Primus Dlugoſſus qui hiſtoriam mihi
Dicet Polonam, qui mihi callidas
Vafrasq; Maieſtatis artes
Intrepido recitabit ore.
Quæ Lerna tantùm, quæ dedit Africa
Horrenda monſtrum? Marmarico lea
Quæuè illa de ſpecu, maritis
Tigridibus peperit Leonem
Plusquàm Lybiſſum. Prodigialium.
-O probrum Parentum; vtcunq; Caliſſij
Dicata Miecislae Paulo
Templa ſtruis, poſituq; Landæ
Et Vangrouoci *cænobijs pius*
Credi laboras? Sceptrum Helenæ tamen
Raptumq; Leſconi loquacem
Dedecorat diadema famam:
Et illa fuſo ſanguine Ciuium
Reſperſa multùm purpura, ſubditis
Raptæq; fortunæ, & tributa
In Lechicam grauiora plebem.
Nil largiatur, dum nihil auferat
Quiscunq; Princeps; non alat, & ſimul
Non ſtrangulet Ciues, ſubibit
Dulcis adhuc noua cura prolis.

Iam largiatur; ſed ſimul auferat;
Alat, ſimulq; occidat aheneis
Armatus enſibus; profectò
Efficiet, quia pænitebit
Non poſterorum, ſed pariter Patris
Matriſq; fratriſq; imò etiam ſui
Quemcunq; Ciuem. Si cruore, &
Cæde velut catuli ferarum
Subiecti alentur; iam hæc alimonia
Omninò cruda eſt. Accipientibus
Vix illa gratior facultas,
Quàm illa, cui poteris fateri
Quod rapta ſit nulli: Ex proprio dati
Laus pulchra ſolùm muneris; alteri
Iam dempta ſi dantur, rapina eſt,
Non aliquod vocitanda donum.
Stetit potentem belluæ in obicem
FVLCO *rapaci; ſed nimiùm vaſer*
Dum nil MIECISLAVS *Leonem*
Poſſe vide, ſpeciem doloſæ
Vulpis reſumit, ſumit imagines
Sic mille quiſquis pronior in fidem
Proteus malignam; flexuoſa
Sic variat, quoties ſagaces
Fraus ſumit artes, Subdola ſed quò eat
Vult quoduè vulpes, non modico cauet
Iam FVLCO *iam frater labore:*
Aſt iterum mulier ſuarum

Ignara

Ignara rerum, credula dum timet
Timensq; credit, bis Lechicam gerens
Elusa bis cessit Coronam:
Nec Domini rediere fasces,
Vltore donec viuere desijt
Damnata fato bellua, Regijs
Superba de sceptris & vnum
Pro Domino referens tyrannum.
Hæc è Dlugosso, hæc è Cromero meis
Inscribo chartis, vos memorem Lechi
Audite Vatem quæ Dlugosso,
Quæ Historiæ adijciam Polonæ.
Amica nobis si volumus Lechi
Regnisq; Nostris fata; adamantino
Quod illa præscripsere libro
Hoc famulo teneamus vsu.
Quorsum Coronas, sceptra volubili
Quorsum dicamus Regia fæminæ,
Regniq; Maiestate mollem
Perferimus radiare sexum;
Natura quem fuso, quem & eburneo
Dignata tantum pectine, sutilem
Decurrat vt telam, ac alacri
Expediat sua pensa dente.
Effætus Orbis Threicias dabit
Vix Tomyres iam: prima Semiramis
Speranda vix demùm, aut Camilla.
Et Penthesilea furens ahenis

Corusca peltis. Vanda prioribus.
Regnauit annis, & validam quidem
Testata Reginam virago, at
Fæmineis quasi læsa sceptris
Fortuna tantam non tulit amplius
Regnare Vandam. Rixa nihil reos
Quæ tygris in Lechos? & illa
Cæsaribus nimium superba
Tam Patre, quam Fratre, & proprio simul
CHRISTINA *fastu. Sceptrum* HELENÆ *ferum*
Vocare non possum, ast & ista
Quot Lechiam dedit inquietam
Regina monstris: nec monitis ubi
Attenta fidis, falsiloquæ neq;
Sat gnara linguæ; fraudulentæ
Regna dedit, moderanda vulpi.
Nunquam Coronas, sceptra volubili
Nunquam precemur Regia fæminæ:
Vtcunq; quam optimè volebat;
Vix sapuit bene sexus iste.
Sed PEÏKA *palmas, sed virides feret*
FVLCO *corymbos, quod fuerit memor*
Vbiq; Lesci, Lescianam
Quod toties tuitus Parentem.



PRimus hic Historiam Polonam condidit,
Quantâ nominis sui laude? iudicent illi,
Qui intelligere possunt, quid est primam glaciem frangere.
Maioribus nostris non scribebantur Historiæ, sed fiebant,
Fæcundiore Gradiui quàm Apollinis sæculo:
Et vbi Spartã ex Polonia faciliùs potuissemus dare, quã Athenas
Nulla nobis chronicorum cura.
Non alium calamum adhibentibus, quàm gladium:
Qui heroico charactere,
Cæsum hostem in arena tantùm notaret, non item in pagina.
Quâ id tandem Poloni nominis iacturâ, sensimus posteri,
Qui aliorum annales legimus postea:
Per nostrorũ rude silentiũ tantùm extraneis calamis sibi concedẽtibus,
Ut victorias nobis, vrbes, prouincias eriperent,

Quas proprio ſanguine mercabamur.
Adeòq; nullus hoſtium in nos iniquior prædo;
Quàm hi debitorũ Poloniæ triumphorũ iniqui raptores non ſcriptores:
Qui dùm ſubindè Martiali mucrone non poſſent,
Imbellibus paginis Regna natiua vindicabant.
Vltus eſt ſuâ tantùm iactantes populos VINCENTIVS,
Stricto pro geſtis Gentis Polonæ calamo;
Summis Heroibus par.
Nam
Tàm addunt Patriæ, qui ſcribunt; quàm qui pugnant.
Nec in ærarium famæ opimius gladij ſpolium conferunt, quàm ſtyli.
Æquale in Rempublicam patrimonium gloriæ;
Siue illam ſanguine Vir fortis parat,
Siuè ingenio & ſtudio Vir doctus tuetur.
Non tantùm qui ſcribenda facit, ſed & qui facta ſcribit,
Meretur laudem.
OEconomia quædam hic eſt; vt in fortunarum ratione labor cuiusq;
Non in acquirendo ſolùm, ſed & conſeruando conſiſtit;
Ita geſſiſſe pulchra non ſatis eſt,
Scribere etiam, quæ geſta ſunt, & ab interitu vindicare;
Ad publicam laudem pertinet.
Ita tamen VINCENTIVS Chronica Polonica ſcripſit,
Vt & ſe ipſe poſterioribus aliorum calamis in materiam daret.
Nec iuſtiùs quiſquam faſtis inſeritur,
Quàm qui non ſcribere magìs, quàm viuere nôrit.
Ad Cracouienſẽ Infulam electus literariæ ſic inuigilauit pennæ,
Vt & œconomicum non negligeret penum
Hancq; non ſplendidæ, illuſtriq; opulentiæ ſuæ,
Sed Eccleſiæ decori accumulans,
Ærarium fulmine tactum liberaliſſimè ſubleuauit.
Illo tamen vix illuſtrius opus,
Quòd lucernam noctu diuq; arſuram perpetuâ fundatione prouiderit.
Accidentibus panis veſtito DEO, Veſtalem ignem,
Qui

Qui nunquam extinguendus æternùm luceret.
Diurnis nocturnisq; lucubrationibus notissimus Præsul,
Cleantis lucernam credidit; quam Numini accendit.
Oleum certè & operam non perdidit, vbi illud impendit superis.
Agonizaturum aliàs famæ suæ lychnum ratus,
Nisi eum eiusmodi adipe impinguasset.
Verè sic soli lucem addidit,
Quando æterno soli accendit lampadem.
Aureus Pontifex quod amore in DEUM arsit, his flammis testatus est.
Frigidus in obsequio DEI non erat, si igne tali statiuo incaluit.
Benè persuasus ad Sponsi nuptias non admitti,
Qui ornatas non habent lampades;
Suam sine mora parauit;
Ipse tamen VINCENTIUS hæc & mille alijs lampadibus illustrior.
Sed hem! lucerna sub modio.
Cracouiensi Ecclesiæ decennio lucens clarissimus Sol,
In Religiosæ modestiæ occasum declinauit.
Illustri Rosinorum Domo ortus,
Vt magis Deo nosceretur, mundi lucem fugit.
Ac vt in nobiliorem etiam Bernardi transiret Familiam,
Non dubitauit purpuram cum cucullo commutare.
Hic sanè nouerit orbis;
Quanta Instituti tui reuerētia Sanctissime Cisterciensium Ordo
Coram quo Præsules etiam Mitras deponunt.
Non amat tenebriones vester Claræ Vallis Abbas;
Illustria suis facibus trahit nomina.
Mellifluus Doctor auitas nobilium ceras recipit,
Vt tam suaui temperamento conditæ pulchriùs ardeant.
Non satis est è vobis ad Infulas eligi;
Nisi etiam Infulata capita,
Religiosæ vestræ togæ suas submittant purpuras.

 Talis

Talis VINCENTIVS:
Qui post decursum Episcopalis vitæ stadium,
Ad Religiosam tandem festinauit quietem.
Ex Episcopo iuratus CHRISTO Pauper
In Andreouiensi Cænobio.
Primò tunc datum *vincenti manna absconditum,*
Dulcioris nimirùm in sacra ascesi conuersationis.
Nec nauseauit anima ejus super hoc cibo,
Cui suauiùs nunquam conuiuium, quàm DEO obsonari.
A sanctiore odeo sæpiùs absens,
Lumine circumfusus in cellæ angulo,
Multoties spectatrices Abbatis pupillas perstrinxit.
Verè aurora dicendus, nisi Episcopalē Purpuram exuisset.
Immortalis vitæ scrutans arcana, ignescere visus,
Vt ardens carbunculus æternitatis annulo insereretur.
Quatenus canonizationem in terris viuens adhuc meruisse videretur,
Tam promptè à cælo ipso cum radijs depictus.
Postquàm verò vnum lustrum Andreouiæ sanctissimè exegit,
Anno M. CCXXIII. moritur,
Nec viuere tamen nec lucere desinens.
Cineres vbi CC. XX. annis humili in loco iacuissent;
Per Remigium KONIECPOLSKI
EPISCOPVM Chelmensem Abbatem Andreouiensem
Authoritate publicâ subleuati, & in Marmoreo mausolæo reconditi sūt
Ita tegitur aliquando lapide defuncti memoria, non obruitur.
Nulli virtus aut viuo aut mortuo non retulit gratiam:
Obliuisci subinde suorum videtur; interim oculatissima est semper
Imò, in mortuis quoq; cineribus, Phænicem agit.

VIN-

VINCENTIO KADLVBEK
ODE XVIII.

VIx non inerti est proxima; barbaris
Quæcunq; virtus pressa silentijs:
Proinde non sinens taceri
Sarmaticæ monumenta famæ,
Et tot labores in medijs premi
Hic Præsul vmbris, Pierias gerat
Iustè cothurnatus corollas,
Frondisq; suas referatq; lauros:
Quis Gentis author? quiuè & originis
Pares Polonæ? quis cuneos Lechus
Aduersus hostiles? quibusuè
Principijs stetit ista nostri
Compago Regni? Gnesna Aquilis quibus
Submisit omen? primus ad vltimos
Cuncta ista KADLVBEK *nepotes*
Historicis retulit papyris.
Nec Visimirus fulmineum dedit
Solus Gradiuum, bellaq; Danico
Ille vnus intulit Siuardo;
Queîs tremuli placuêre conti,
Queîs in marinis fluctibus igneus
Tentatus est Mars: armaq; Baltico
Tractata ponto: classicisq;
Cæruleæ sonuêre Nymphæ;
Fuêre multi: sed memori quia
Hos nulla fasto pagina posteris
Descripsit annis; acta & ipsi
Immemori tumulantur vrnâ.

Quod

Quod Vanda Craci Filia Regio
Coruſcet auro; fortibus imperans
Tenella quod viris puella
Ritigeri fugiat maritas
Caſta ipſa tædas; quod propriæ ſaber
Felicitatis de chalybe auream
Cudat PRÆMISLAVS *coronam*
Et Lechici nimium laborans
Ardore pomi, Leſco per aſperos
Incedat hamos; quod trabeæ appetens
Popielus hinc & inde mures
Innumeris volitare turmis,
Sibiq; certo funere conſpicit
Inſtare pœnam; ruſtica pauperi
Aratra quod Piaſto Polonis
Magnificè micuêre ſceptris;
Et dictus ipſo quærere maximam
Mucrone famam, pacifico tua
Quod Regna MIECISLAE CHRISTO
Subdideris; Chrobrio Ducalis
Quod Mitra fulſit nobilioribus
Scribenda poſthac cum titulis; ſuo
Natuſq; quod diſpar parenti,
Fæmineo nimium obſecundans
Coniunx furori, Sarmatico grauis
Regnauit orbi; Rixaq; deſidi
Megæra ſuccedens Marito
Non dominam, ſed atrociorem

Quàuis Medeâ Principem in omnibus
Se gessit annis; quod studio Lechis
Quæsitus ingenti relictas
Rursùs init CASIMIRVS *oras*
Et Matre Princeps & Patre sanctior;
Quod fata nobis nunc bona, nunc mala,
Seri reuoluimus nepotes;
Cuncta suis manifesta fecit
KADĪVBKO *scriptis.* Immemorem secus
Incognitumq; abduntur in angulum,
Quæcunquè tantùm gloriosè,
Facta suis caruêre fastis.
Nil est cruento scribere posthumam
Mucrone famam; nil Geticis iuuat
Impressus in campis character,
Si calamus sileat, futuros
Loquax in annos. Instabilis nimis
Membrana; ferrum si nisi bellicæ
Inscribit annales arenæ,
Nec resonis canit eruditus
Apollo cannis. Sat leue præmium
Virtutis est; si fama silentium
Non vltrà it armorum: perenne
Egregij volumus laboris
Si quando nomen; sint memores libri
Pro teste tantùm; & nulla pericula
Obliuionis à situ vnquam
Lechiadûm patietur orbis.

IOANNES SEV IVO ODROWAZ.



NOn IOANNES sed gratia in Cracouienſi Cathedra IVO.
Cænobium erexit ſacro Ciſtercienſium cætui Mogilæ,
Ubi VANDÆ Reginæ tumulus, non item IVONIS huius famæ.
Canonicis Regularibus Sancti AVGVSTINI Mſtouiæ,
Pulcherrimâ loci commendatione,
Quòd Auguſtos etiam, dum Auguſtinos in ſe reciperet.
Cracouiæ Fratribus S. SPIRITVS de Saxia,
Ubi pauperes quidem hoſpitarentur. DEUS tamen eſſet domeſticus.
Imbranouiciæ Præmonſtratenſibus Virginibus,
Epiſcopali, ſed caſti illius Norberti Soboli.
Baſilicas, Dzierzanenſem, Końſcenſem, Gołaczouienſē,& plures alias.
Romam deindè profectus,
Vbi DOMINICVS è Guſmanorum ſanguine
Notus ille in Matris adhuc vtero orbi caniculus,

Inflammandis hominum animis facem circumferre cæpit.
Exarſerant ad tàm feruentem ignem multorum pectora,
Sed nec noſter Septemtrio ita frigidus,
Vt ad ſanctiorem torrem non incaleſceret.
HYACINTHVS ex Familia Odrowąziorum,
IVONIS ex Fratre nepos, Canonicus Cracouienſis,
Sanctiori militiæ nomen dedit.
Placuerat Patruo tàm ſanctum nepotis factum:
Nunquàm enim ſine illicijs ſuis eſt virtus.
Non ipſius tantùm nequitiæ ſubit dulcedo, virtus etiam amatur:
Adeòq; rarum ſæculum, cui illa in delicijs non ſit.
Vtcunq; multorum odijs vapulet,
Plures tamen ſunt, qui ei faueant.
Plebeia fuerit in ignobilibus animis,
Bonæ indoli, pro nobili æſtimatur.
Nec ſatis fuit pio Antiſtiti, ſi virtutem laudâſſet,
In gratiam etiam ejus, aliquid facere voluit,
HYACINTHO, & tribus alijs eiusdem inſtituti in Poloniam adductis,
Quibus primariam è Cracouienſibus
Sanctiſſimæ TRINITATIS conceſſit Baſilicam.
Dedit plauſum tanto hoſpiti Cracouia,
Qui Polonæ Aquilæ cum eſſet pullus,
Candidis alis è Vaticano colle prouolans in Vauelum defluxit.
At non in Religioſos tantùm Ordines beneficus hic Pontifex,
Erga alios etiam munifici ſcenam pulcherrimè egit.
Subſecuta fames, famæ illius optimum ſuſtentamen,
Omnia egeno populo ſubminiſtrantis.
Fontem dixiſſes, qui cunctorum ſiti quouis tempore ſeruierit.
Seu publicum puteum, ex quo omnibus haurire licuerat.
Stupente Cromero,

 Quod

Quod minoribus longè, quàm nunc Episcopatuum prouentibus
Tàm liberalis ODROVÆSIUS.

Sed nunquàm in inopiam queri potest, qui piam manum non subtrahit.
Facilius exsiccantur cisternæ, quæ aquas tenent:
Quàm fontes, qui dimanant.
Elecmosynarius animus certamen quoddam cum DEO mouet,
In quo disquiritur semper
Plusnè DEVS dare, an ille reddere possit.
Auara quodammodo in pauperes pij hominis munificentia est,
Vt auarus, ita & munificus, nunquam dicit satis.
Ex beneficij primi concessione, secundi se debitorem existimat.

Ita tamen subleuandæ miserorum inopiæ intentus IVO,
Vt maiestati etiam deesse nollet.
Quæ BOLESLAVM Pudicum Principem nacta
Impleuit oraculi illius veritatem,

Quod nulla Maiestas casibus excipitur.
Omnium felicitas ad magnæ fortunæ examinatur libidinem,
Dum in thronos etiam ius proprium exercet.
Atq; raros in sacrarium suum recipit, nisi quos destinat ad molestias.

LESCO sublato
Dum BOLESLAI Pudici vterq; Patruus tutorem agere parat,
Ferro in decisionem vocato, ex populo, pupillum reddunt,
Vt lacerarent maiori rabie Regni purpuram, quàm vindicatam vellent.
Et hoc erat fatum suum exteris inuidisse.
Proniora in Barbatum tàm Pudici, quàm Ciuium studia.
Sed CONRADVS quò propiorem se sanguine sensit,
Eò etiam vicinior tutelæ credi volens,
Stricto ense tuitus est, quod Ciuibus inuitis tenere se sciuit.
Fauitq; CONRADO fortuna, quia captus HENRICUS,
BOLESLAI tutelâ & Principatûs administratione iureiurãdo se abdicauit
Dolentibus Proceribus, quod nossent CONRADI indolem;
Imprimisq; IVONE, qui à CONRADO alienus semper
Iter suscepit ad GREGORIUM IX.
Familiariorem sibi quondam in Parisiensibus studijs Theseum,
Relaxationem exacti per vim iurisiurandi petens.
Non defuit huic nodo Romanus MACEDO,
Cracouiensisq; nobilitas Præsulem secuta, HENRICO fauit:

Donec

Donec pubeſcente tandem BOLESLAO, pax inter Duces coaluit,
Hymenæo inter CONRADI Filios & HENRICI neptes
Maritales tædas accendente,
Ne Martiali incendio Bellona Ciuilis iterùm arderet.
Gauiſus hâc concordiâ IVO, ſimul bellorum ciuilium requie:
Nam feralis ſemper bellua bellum eſt, ſed maximè ciuile.
Victoriæ ſpem non facit, ſed ſepulchri,
Nec tam vincit, quàm obruit.
Confligitur hîc ſæpe, non tàm vincendi ſtudio, quàm ſiti ſanguinis.
Adeòq; alia bella minantur excidium, inteſtina adferunt.
Sed ah! iterùm IVO dum ad GREGORIVM IX. diſcedit,
Ac prærogatiuis Eccleſiæ Cracouienſi impetratis reditum parat,
Auditâ illâ, tùm in ſanctioribus roſtris, tùm alibi Suadâ,
In veteri Burgo propè Mutinam obmutuit.
Epiſcopatûs ſui anno XII. CHRISTI M. CC. XXIX.
Improuiſam mortem cauè dixeris;
Vitam Vir Sanctiſſimus pridem contempſit.
Optimo Pontifici triumphus potiùs de mortalitate decretus,
Quem ob eximias virtutes in cæleſti Capitolio ageret:
Nec enim putatur mori, qui benè vixit.

IVONI ODROVAZIO
ODE XIX.

ADhuc Polonus; Sarmaticis adhuc
Bellona tantùm noxia finibus,
Et hæc ſi ab externo Gradiuo
Sed (nimiùm pudet & fateri)
Bellona noſtros auſa domeſticis
Implere campos agminibus. Lechus
Fuitq; Mars ille, imperandi
Qui nimiam patiens orexim
Fraterna ſecum iuſſerat impijs
Et caſtra & Arces feruere prælijs,
CONRADVS HENRICVSq; quando
Illicitis ſua iura bellis Promo-


Promouit atro in sanguine Ciuium;
Dum quiúq; stricto quærit acinace,
Tutela cui cedat Pudici,
Cùm Patrui fuerint vtriq;.
CONRADVS vno sanguine proximus,
Alter remotus sanguine; sed magis
Optatus addicto Nepoti
Et studijs populi. Molestis
Hinc causa rixis, vlterioribus
Hinc ansa pugnis, hinc tragico vagus
Instructus armorum tumultu
Mars solidas rabido catenas
Demit Furori: centum vt aheneis
Post terga nodis vinctus, amabilem
Qui nuper indulsit quietem,
Iam tumido grauis ore tristes
Eructet ignes: turpia iam gerat
Et flenda nobis bella Nepotibus
Semper, sepulchralesq; crebris
Funeribus cumulet ruinas.
Et iam bis acto prælio adoream
Fortuna Barbato geminam dedit
(Si palma nominanda tantùm
Quam Patriæ cruor irrigauit)
Cùm rursus anceps vertitur alea,
Nuperq; victor, iam validas sibi
Sentit ministrari catenas,
Iam sedet & gemit in profundo

Captiuus antro. Donec ab improbis
Auersa dudum classibus HEDVIGIS
Sancta illa conuolauit vxor,
Fœderibus potiusq; amicis
Censens agendum, ponere turbidam
Tutelam, & atri sanguinis effluam
Persuasit HENRICO. Pudici
Sic auido toties petitam
Mucrone curam suscipit inquies
CONRADVS, vnâ sic Lechici capit
Director insolens habenas
Imperij. O! nimium secundæ
Quàm parca sortis fata! Polonicis
Quàm dura rebus tempora! paruuli
Hic ille dum tutor Pudici
Sceptra tenet, populus tyrannum
Pro Rege sentit, pro Patruo grauem
Pupillus hostem. Tum niueis Fides
Tum Pax retrocessit quadrigis
Tum subitæ coiere turbæ.
Te Te ista tangunt pacificis magis
Intente curis: Te indubiè mouent
O! magne ODROVASI. Latinum
Vt qui alias Tyberim Liburnis
Nunquam solebas visere nauibus,
Ni vel IACINCTVS Calaguritani
Sequax Magistri Te beato
Sancti animi recreâsset actu.

Noti

Noti vel olim Parisijs adhuc
Chariq; Achatis, post trabeâ inclyti, &
Throno Vaticano, videndi
Egregius subÿsset ardor:
Nunc pæne lapsæ funera Lechiæ
Per tam tyranni barbaricum videns
Tutoris ambitum, ad Quirinas
Pergis iter properanter arces,
A Vaticano Præsule Lechicis
Hæc additurus commoda Ciuibus,
HENRICVS vt quo se ligauit;
Hunc MACEDO latiùs sacratum
Mucrone nodum soluat, & illius
Iurata rumpat vincula cinguli;
Exacta quæ per vim minax haud
Erubuit memorare carcer.
I! perge felix. Me nisi vitrea
Dioptra tantùm fallit; inutilis
Legatus haud venis. Benignis
Iam studiis Vaticanus vltrò
Te plusquàm amicè comprimit Hercules
Polone Theseu: iam gladio PETRVS
Hæc cuncta dissoluit, iubente
Queîs potuit trepidus timore
HENRICVS inuolui. Inq; domum, Tui
Haud absq; pulchro fænore nominis
Redibis, hoc tantùmq; promptis
Obsequium celebrare Lechis.

VISLAVS KOSCIELECKI



MOrtuo in Italia IVONI, Successorē dedit Roma ANDREā GRYPHIū.
Legitima Capitularium Electio VISLAVM ZABAVIVM;
Beneficâ spe vtrosq; pauit Fortuna:
Ecce biennio consumpto patuit Fortunæ ingenium, quàm variabile est.
Nam & ANDREæ GRYPHVS euolare non permissus,
Et ZABAVIVS ethymologiæ nominis monitus,
Expectationi tantùm immoratus, non item INFVLæ;
Inclinatis ad KOSCIELECIVM studijs.
Nota pridem Fortunæ liberalitas.
Dextram sic muliebri simulatione porrigit,
Vt nescias; dare, an accipere malit.
Mirabile Numen; quod & omnibus fauere velit, & nulli,
Omnium virtutes pro libitu suo agitat.

 Vultu

Sed vbi tantisper remoueris velum, imposturam inuenies:
Ita tamen hic egit, vt in KOSCIELECIO non errauerit,
Quem nominasse summa etiam prudentia non erubesceret.
Qui gloriosos dies quos viuendo fecit, fecit & regendo.
In villa patrimonij sui Kośćielec Diuum ADALBERTUM veneratus,
Ecclesiam quadro lapide sumptuosè erexit.
Magnis enim animis, & verè cælo deuotis
Ingloria est, quæcunque modica in Diuos munificentia.
Sciunt se nihil ex his perdere, quæ offerunt superis;
Plura recipere, si multa dederint.
Libertatem Ecclesiasticam teneriùs dilexit.
Nimirùm: castior hæc Ariadna;
Et cujus amore flagrare Infulatos Theseos deceat.
Verùm vbi virtutem magis quàm Fortunam colit,
Irata Fortuna, & BOLESLAO Pudico insuper offensa,
Quod pudori locum fecerit in Regiâ,
Qui in terris vt plurimùm mapalia inhabitat.
Odio igitur virtutis sequacium, pro blanda Virgine Megæram induta,
Omnem penè Tartarum mouit, dùm Tartarorum colluuiem.
Deuastatâ vbiuis Poloniâ Cracouiæ etiam KOSCIELECIUS indoluit
Quæ vt Regni Metropolis, ita maximè petebatur:
Sperātc barbariè facilè alias Vrbes defecturas, vbi ima fatisceret
Frænum capiti si injicitur, sequuntur membra.
Sed in Diui ANDREÆ æde apparuit pauperum virtus,
Egenis ac debilibus in eam se recipientibus,
Vbi interfectis desuper compluribus hostibus Ecclesia defensa.
Vt jam tùnc patere potuerit
Nullibi magis commilitonem DEVM, quàm in pauperum castris.
Arsit alibi ferali incendio Cracouia, & simul Cracouienses Basilicæ;
Sacrificium barbarorum dixisses impietati sacrificantium.
Ecclesiastica supellex ablata,

Quasi

Quasi homines cruciare non satis esset,
Nisi iniuria DEO quoq; inferretur;
Et sorderent alia spolia, nisi diriperentur templa.
Triennium Tartaricus hic Orcus sæuijt,
Cum tandē lassauit infesta fata omnibus calamitatibus major, Polonia.
Nouo miraculo, à tanto funere illam resurgere potuisse.
Sed & Pudici non minore prodigio,
Qui toties profugus, toties ad Sceptra redux,
Admirabile humanæ conditionis ex se exemplum dedit.
Probare volentibus fatis, an seruaret animum tanto fastigio parem.
Tulit hic Antheus omnem casum fortitèr,
Princeps verè aureus, nisi chalybeam ætatem experiretur.
Pulsis tandem è Patriæ sinu Scythis, feralibus non Poloniæ tantùm,
Sed Hungariæ Rasciæ, Bosnæ, Croatiæ & Bulgariæ incendiarijs
Nihil remansit, nisi funus & fumus.
Vnde totus in restaurandis Episcopatûs ruderibus KOSCIELECIVS
In Patriæ cineribus quædam velut scintilla seruata.
Quanquàm & sui sanguinis non oblitū KONTSCIVS perstringit;
Sed viderit; illemet in simili casu nùm melior fuisset;
Post tantas bellorū clades, quarum & ipse non expers Pontifex,
Depauperatis vterinis Fratribus duas villas excitādas concessit,
Parandis vitæ subsidijs, non stipandis opibus.
Nam probata in se ipso miseria, promptissimum est misericordiæ promptuarium,
Nullibi magis, quàm in impiæ Schola pietas in altum discitur.
Propria calamitas, compassionis est officina;
Vt & læsi ipsi, faciliùs de alieno iudicamus vulnere;
Negligere incipimus, quidquid soli non toleramus.
Si molestiam postea Cracou: Ecclesia habuit in Radłouiensibus syluis
Pronepotum auiditas causanda.
Auaros enim singularis infirmitas corripit, semper sitire plura,
A quorum ore, vox hæc, satis: par pæne prodigio.
Desunt inopibus multa, cupidis omnia:

Scitq; modum fames, nescit auaritia.

Mortuus bonus Episcopus Anno Dñi. M. CC. XLII.
Cum Cathedræ præfuisset, & profuisset
Annis XI. & aliquot mensibus.

VISLAO KOSCIELECCIO.
ODE XX.

ME iam priores Sarmatiæ piget
Lustrare sortes, iam mihi nauseam
Et fasti & annales creârunt,
Præteritos lego sub Pudico
Si quando casus. Bella parùm domi
Gessisse Fratres, & Mareoticis
Plusquàm laborauisse rixis,
Ac Patriam macerâsse magnis
Mæstam ruinis; ni quoq; barbarus
Sæuîsset in nos impetus & graues
Sparsisset iras, pænè Dite
Tartareas sociante flammas:
Quando ille vasti Tartarus accola
Acerbus Hæmi, præter ahenei
Ferri labores, virulento
Tela etiam madidata tabo
Vibrauit in nos. Vnde voracibus
Secuta flammis tæda, volatili
Coniuncta cùm ferro per Vrbes,
Per tenues dominando villas

Quâcunq;

Quàcunq; tantùm ſerperet, illicò
Satelles ibat Barbariæ furor
Immitis, atrocesq; cædes
Et miſeræ ſimulacra mortis.
Qui miles olim, vel validis erant
Quæ caſtra quondam conſita copiis,
Captiua iam turba eſt: Parentes
Inde ſuos gemuêre natos;
Nati Parentes: Quæ Dominos, ea
Caterua ſeruos ſtrinxit, & aurei
Quæ nuper ornauêre torques,
Illa hodie doluêre duro
Nodo ligari colla. Nec ullius
Miſertus eſt Mars efferus, vltima
Vt pæne ferretur ruina
Quò Scythicus niſi venit enſis.
Hæc vel legenti mens gelidum mouet
Horrens pauorem, quid Tu vbi tàm mali
Spectator aut actor theatri
Lugubribus premerêre triſtis
*V*ISLAE *fatis. Mæſta oculis vbi*
Imago rerum, nec niſi flebiles
Ferale funus per Penates
Atq; ſacris inimicus aris
Graſſatus ignis: Sicaq; Lechici
Per colla Cleri, per geminos iit
Mucro cruentatus lacertos
Per mediumq; ſagitt[illegible].

Quis

Quis tunc malorum non ſubijt timor?
Quæ Lechidarum non dedit anxium
Ruina ſenſum; o! KOSCIELECI
Digne alio bone Præſul æuo.
Sed quò robuſtæ pingimus hæc mala
Acerba menti? vel medio manet
Secura mens ponto ſubinde,
Firma tenet cui vela virtus.
Quicunq; verè fortis, in omnibus
Non ille vitat tela, ſed excipit:
Pericla nec fugit, ſed vltrò
Magnanimo capit illa corde,
Si quando pulſant pectus. In aſperis
Probata virtus pulchriùs emicat
Et vita Noſtri KOSCIELECII
Pulchrior his agitata fatis.

SCHOLARVM PIARVM
& SVÆ MATRI
VIRGINI SANCTISSIMÆ
MARIÆ
POLONIARVM REGINÆ
Pro secunda Antistitum Cracouiensium decade
EVCHARISTICVM.

SVme lenem Musa buxum
Et canoras tange chordas;
Prome plectrum, debitosq;
Obsequente redde neruo
Virgini tantæ labores:
Virginalis pensa laudis, grata soluet pagina.
Magna Virgo quæ Piarum
Mater es vulgo Scholarum;
Tu meis Thalia sistris,
Tu mouenti Musa dextræ.
Delphicus quod prompsit ardor
Hoc MARIÆ *dedicatum, hoc posco magnæ Virgini.*
Non ego Vates Pelasgus,
Hectoris qui pulchra dicam
Facta, magnæ vel Camillæ
Inclytos pangam triumphos.

Nobilem

Nobilem ſat reddo Muſam,
Si MARIAM *pectẽ ornat, ſi celebrat barbitos.*
Poſt Magiſtrum prima CHRISTVM
Tu mihi Virgo Minerua
Seu Lechæum canto Cracum,
Seu Mitratas condo laudes,
Prima magnæ vota Matri
Prima tantæ velitare metra vellem Principi
Caſta Mater, caſta Virgo
Non profani more Vatis
Augurantem quæro Phœbum;
Tu benignam prome frontem:
Et loquaces tango chordas
Abſq; Phœbo, præuolantis abſq; ductu Pegaſi.



PRima ad Cracouiensem Cathedram electo PRANDOTÆ cura CONRADI è Principatu exclusio.

Boni enim Pastoris est, non oues tantùm pascere, sed & lupos arcere.

CONRADVS inquietus Princeps laborare iterùm cæpit dominādi siti,
Ambitione perpetuâ febri,
Quæ ipsum Lechici pomi cupediâ æstuare fecit.
Et arripuerat iam illud famelicis faucibus,
quo paulisper degustato
Ad populorum etiam fortunas deuorandas appetitum sensit.

Nimirùm, auidus alieni animus Erisichtonem agit.
Quò copia maior est data, plura cupit.
Cibus omnis in illo, causa cibi est.
Sed rarò concoquitur benè eiusmodi offa,
Ad quam Tyrannis habet orexim.

 Grauis exactionibus & crudeli regimine CONRADVS
Imperium flagitio quæsitum bonis artibus non exercuit.
Dum terrore firmandum dominatum sperat; omnium odia incurrit,
Expertusq; *quod malus semper imperij minister, metus.*
Multis timendi causas attulit, timeri posse.
PRANDOTA secessionis Princeps
BOLESLAVM Pudicum adhuc à metu Tartarorum profugũ,
Euocandum suasit.
Aduenit cum KINGA BOLESLAVS:
CONRADVS autem vt Purpura se exui vidit,
Suæ fortunæ cæpit esse faber.
Nec alium malleum adhibuit, quàm gladium,
Ciuium collis vsus, pro incude.
Vocatis in subsidium Lithuanis& Iazygibus in Poloniam irrupit,
Ratus non vltrà negaturos Coronam Ciues, si semel amisissent caput,
Pessimo semper ambientium consilio,
Dum quam regere expetunt, euertunt Patriam:
Et vt faciant suam, volunt esse nullam,
Cum tamen in Ciuilibus bellis præmium incertum petitur, certum scelus.
Nihil turpiùs eiusmodi armis,
In quibus siuè vincas, siue vincare; non effugis infamiam.
Æquè hic inhonestus belli exitus, sicut & causa.
Non defuit primùm Pudico Fortuna,
Repressus cum barbaris CONRADVS.
At breuis nimiùm illa hospes, vbi virtus pedem posuit.
Non diù se in ijsdem confinijs ferunt, felicitas & sanctitas.
CONRADVS quia vitiorum studiosior,
Ideò propiora Fortunæ studia expertus.
Sic nempè misera virtus mala præmia tulit recti
Innocentem secuta fatorum iniquitas;
Vitijs potens superauit.
Defecit statim ad CONRADVM Sendomiriensis nobilitas.
Paruam

Paruam admodùm in BOLESLAO ſpem ponens,
Cum quo tàm nouercalibus modis Fortuna ageret.
Plerique enim tam diu Principem ſequuntur, quamdiu fortuna comes.
Vbi illa titubat, etiam fides ſubditorum cadit.
Splendor & res integræ affectum conciliant,
Caligantibus illis, etiam hic extinguitur.
At non ita PRANDOTA in Principem ſuum ingratus,
Vt in aduerſis eidem auerſus eſſet:
Documento reliquis, *verum amorem nunquam deſinere.*
Bono ſemine ſi hic naſcitur, æternùm viuit.
Ideò parci alijs CONRADVS,
In ſolius PRANDOTÆ bona vindice flammâ aduerti iuſſit.
Vt ita bonum Pontificem
Ad longum ſuo in cinere ieiunium & pœnitentiam adigeret.
Plùs ſæpè ira in vindicta exigit, quàm iniuria accepit.
Sed præpoſtera vltio, in vnius vindictam multos vlciſci.
Non diu tamen paſſus Eccleſiæ iniuriam PRANDOTA:
Ex exhalationibus illis ignitis conflauit fulmen,
Quo Eccleſiaſticus Iupiter in Maſouiũ Enceladum detonuit.
Nimirum *curandum eſt, ne impunitate prauitas inſoleſcat,*
Principis vitia ſi fert Epiſcopus, facit ſua.
Approbauit FVLCO Gneſnenſis Archiepiſcopus cũ vniuerſa Synodo,
Et hoc erat in CONRADUM grauiùs detonuiſſe.
Nam fulmina, quæ ſolus Iupiter excutit, non ita ſunt grauia;
Grauiſſima; quæ Deorum concilio aduocato decernuntur.
Nec fulmine tamen ictus, deſtitit ab ambitu CONRADUS
Donec eo vitâ functo, ſuo iterùm cum pudore thronũ inijt BOLESLAVS,
Cum quo toties exulare cogebatur.
Vtcunque proſcribitur aliquando virtus, ſuo tamen ſolio reſtituitur ſemper.
Exercita prius per omnem ſemitam, illuſtriùs ſe poſtea exerit.
BIALACZOVIUS autem quietiora tempora nactus,
Quod & ſuâ, & Regnantis virtute dignum erat,
Inſerendo Sanctorum faſtis STANISLAO Baſilicam operam impendit.
Dubitari non potuit,

Quin triumphatori Lechico ipsa Vaticanorum collium supercilia
In triumphales arcus flecterentur.
At in meridie etiam positus Tiberis,
Suam subinde glaciem habet,
Quia non ad cuiusuis vota liquescit.
REGINALDVS Cardinalis Ostiensis ostium clauserat,
Negotio huic maximè aduersatus.
Sed à Diuo STANISLAO monitus,
Serius posteà pro eodem apud INNOCENTIVM IV. Orator,
Effecit, quia impressi à BOLESLAO characteres
In Vaticanum album sunt transcripti.
Et STANISLAVS post CLXXV. annos,
Radijs emicare iussus,
Cujus vel digitus, comite olim igne stipabatur.
Resuscitatus ibidem & à mortuis infans,
Nouo miraculo auxit STANISLAI reuerentiam.
Quanquàm nihil nouum id Diuo Martyri cælis potito,
Qui in terris viuens, eius rei experimentum iam dederat in Petrouino.
Facilè in miraculis CHRISTVM exprimit,
Quicunq; eum in vita imitatur.
Laudauit è suggestu STANISLAVM ipsemet INNOCENTIVS,
Nec sumptuosius elogium haberi potuit,
Quàm dum Romanus Tullius è rostris suam suadam adhibuit.
Assisio vsus pro TVSCVLO.
Lætus his successibus PRANDOTA
Sequenti anno leuatas solēniter reliquias hominū venerationi exposuit,
Tàm Pudici cum KVNEGVNDE, quàm aliorum Principū præsentiā nactus.
Sed Cælo tandem maturus visus, in Autumno concidit
Vt ita grandium totâ vitâ BIAŁACZOVII operum spectator Sol
Morienti in libra adsisteret.

Quasi

Quaſi non aliâ lance meliùs explorari poſſet grandia opera, quā cæleſt.
Explorata Anno Dñi. M. CC. LXVI.
Exactis in Cracouienſi Epiſcopatu annis XXIV.
Vbi notus à telonio MATTHÆVS
Ab optimo Pontifice mortalitatis naulum repetijt.

PRANDOTÆ BIALACZOVIO.
ODE XXI.

NIl funus obſtat, nobilibus nocent
Nil buſta factis; è medijs caput
Attollit & virtus ſepulchris,
Inq; ſuo vigilat veterno
Hæc Diua ſemper. *Iam gemini propè*
Finem ſubibant tempora ſæculi,
Ex quo STANISLAI Vaticanum
Emeritos tacuit triumphos.
PRANDOTA tandem cùm BIALACZOVIVS
Honore tanti Præſulis, & ſuæ
Amore ſuccenſus Tiaræ
Vrget opus, radioſq; ſancto
Et picta curat fulgetra Martyri.
Nec Vaticanum longiùs ad preces
Et vota ſurdeſcens retardat,
Sarmaticis fauet at petitis.
At verò pernix Fama humili ex loco
Leuanda poſtquàm Lipſana reſcijt,

Tardare reſpuens, iugales
Iungit equos, lituiſq; & amplis
Inſtructa conchis, quâ medijs fluit
Tibiſcus vndis, quâ placido ruit
Albis Bohemicus ſuſurro;
Æra ſonat, numeroſa ſecum
Tractura plebis millia, Cracicam
Viſura pompam. Nec Lechicus thronus
Tardauit aduentum, ſuorum
Innumerâ comitatus aulâ
PRANDOTA lætus, ſe SZCZEPANOVIUM
Authore tantis agminibus coli,
Viſáq; Maieſtate flexis
Suppliciter genibus modeſtas
Leuare palmas: iſta Nepotibus
Legenda nobis, iſta ſequentibus
Legenda dat ſæclis. Regentûm
Quisquis agis minùs apta Sceptris
Submiſſioris regna modeſtiæ;
Inſanus erras: nil magis aureæ
Conducit ad famam Coronæ,
Quàm trabeæ ſociata virtus.
Si fulget ex ſe purpura, pulchriùs
Virtute fulget: non meliùs pudor
Caſas obambulat mapales,
Quàm domini tabulata tecti.

PAV-



QVam verè fallitur,
Quisquis humana gaudia è prima fronte æstimat.
A tergo circumspicienda sunt,
Et aduertentur mærorem post se trahere.
Consecrato in Episcopum PRZEMANCOVIO festis choreis indultũ,
Eò magis contra fas & decorum, quòd Quadragesimæ tempore.
Sed lætitiæ motor, alijs flebilem ex se dedit scenam,
Minùs memor postea vocationis suæ Antistes,
Vbi cælo potiùs debuerat, feris captandis retia posuit,
Excusabili delectatione,
Si saltim HIPPOLYTVS foret, & non Adonis.
Sed debilis hîc omnino PAVLVS *contra stimulum carnis.*
Admonebatur à Capitularibus, & ab ipso Principe.
Nisi quod *destructis hominibus frustra de remedio cogitandum,*

Qui

Qui vitia sua virtutum loco numerant.
Consummata est infelicitas,
Vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent.
Locusq; curationi esse desinit,
Postquam, qui fuerunt defectus, fiunt mores.
In monitores quoq; suos contumax,
Quod vel initis contra BOLESLAVM Pudicũ consilijs patuit:
Qui dum Opauiæ cum OTTOCARO Bohemiæ Rege transigit,
Ad VLADISLAVM Opoliensiũ Ducẽ Principatus transfertur.
Nihil horum latuit Pudicum.
Sagaces sunt Regnantium curæ, quoties de dominatione agitur.
Non magno labore opus est, vt eminentiam alicui persuadeas;
Vt quis hâc exuitur, ad recuperandam non it, sed euolat.
Nec tam soleas adhibet, quam talaria.
Quare soluto Opauiensi conuentu,
Cũ aulico suo comitatu ad BOGVICINVM pagũ descíscentes aggreditur.
Et gladio in iuris sui confirmationem adhibito;
Victor BOLESLAVS monstrauit,
Quòd quodammodo iustiùs, quia & feliciùs arma sumpserit.
Mediam victoriam tenet educta in aciem Bona Causa.
Hæc imbelles etiam vires reddit fortissimas.
Post mortem BOLESLAI, eadem PAVLI à LESCO Nigro auersio,
Contra quem motus barbaricos ciet.
Procliuius scilicet est iniuriæ, quàm beneficio vicem exsoluere:
Quia gratitudo oneri, vltio habetur in quæstu.
Descensum à Barbaris & Nobis in pugnam, sed LESCO palmarem.
Nam stetit pro pio Principe MICHAEL
Angelicus Ductor,
Cum ipse extensionis quantitatiuæ non fuerit capax,
In Polonis etiam requiri non est passus,
Quot & quanti fuerint; sed quales.

Substan-

Substantia illius tota erat operari.
Frustra cum gladio pingeretur,
Si Martialem se non probaret Spiritum.
Vtcunq; à Theologis negetur in Angelis appetitus irascibilis,
In acie hac MICHAELIS certè clementia non apparuit.
Iræ, imò & furori in Barbaros indulgere debuit.
PAVLO vbi humana non profuerunt consilia,
Cælitùs data admonitio.
Opportuna admodùm, si in aliam indolem incidisset.
Sed ad lachrymas tantũ cõmotus, & non duraturã à vitijs requiẽ.
Nempe:
Assuetudine peccandi succrescunt ipsis peccatis peccata.
Et animus in delicta promptus
In expedito consuetudinẽ habet, velut relinquentis vitæ fomitẽ.
Fæcunda sunt scelera, citò multiplicantur.
Æthiopem faciliùs laueris, quam vitijs obnoxium.
Quod de fæmina subinde, id de vitioso dicendum semper
Septem pelles habet.
Si vnam detraxeris, inuenies adhuc duriorem:
Vltima callum erit.
Secuta tandem vindicis Libitinæ satelles infirmitas,
Quæ PAVLVM dolori succumbere fecit
Episcopatus sui anno XXVII. Saluatoris verò nostri M. CC. XCII.

PAVLO PRZEMANCOVIO
ODE XXII.

ARcana soli cognita Numini,
Quæ PAVLE morum præmia sumpseris;
Cælumq; scit sublime, quânam
Sorte tui cumulantur actus,

Nos cautiores si sumus; omnibus
Curemus annis, vt nihil insolens,
Nihil petulcum deuiumque
Vel minimâ faciamus horâ.
Sed proh! pudendum. Vix memores sumus
Quandoq; nostri, dum malè desides
Torpemus, & nullam salutis
Perpetuæ retinere curam.
Studemus omnes. *Vix aliquid puer*
Nouit profari; vix rudis exijt
A lacte materno puella;
Cum subitò CRVCIS exhibendæ
Ignara mens est, exiguus precum
Amor piarum: sed veneres loqui,
Spirare sed cultu Dianam,
Sed resono celebrare cantu
Formosum Alexin, pulchram Amaryllida;
Sed mille semper promere basia
Indigna vel viris adultis,
Hoc teneræ docuêre cunæ.
Robustiores mox vbi venerint
Anni; furenti quàm miserè dein
Turgemus à luxu tumentes.
Quando epulis onerare mensas,
Et apparatu non nisi regio
Certare pulchrum ducimus, integra
Vt Regna sæpius bibantur,
Quæ petulans Cleopatra nobis
Propinat: ingens aut vbi syrmatum
Arrisit ordo, pompaq; vestium,

Quam

Quam vel Thyesteæ Mycenæ,
Vel Tyriæ peperêre lanæ.
Et tam superbo si leuior labor
Paruæque curæ sufficerent satis
Quandoq́ luxui; sed eheu!
Deficiunt etiam Parentum,
Quæsita multis pascua sæculis,
Villæq́ & vrbes, & numerus ferè
Multus colonorum. Macella
Totus vbi propè replet äër,
Et tota tellus, ac aqua piscium
Ferax, vel vnum si nisi prandium
Humana molitur libido,
Sique petit sua pensa venter.
Et pænè pagos, non semel integras
Et ciuitates pendimus; vt, tenet
Quas purpuras Sidon remota,
Quoue tumet Tyrus omnis ostro;
Hoc delicati corporis induant
Segnes lacerti, membraq́ molliter
Sic tenta virtuti rebellent
Ad rigidos minùs apta casus.
Sic sola carnis cura; animæ manet
Sic nulla nostræ: sic malé spiritus
Ieiunat, & languet, polique
Vix aliquis super extat ardor.
Sed dico cunctis Gentibus, omnibus
Sed dico Regnis. Barbaricus nimis
Tyrannus est caro: petulcus
Quàm meliùs paleis asellus
Non verò plenâ fruge fouebitur.
Si stultus isti, noster amor fauet,
Immane quàm errat: ex amico
Non modicum patietur hostem.



JN BOLESLAI Pudici aula educatus,
Serenissimâ LESCONIS Nigri affinitate illustris
Cracouiensem Sedem inijt.
Natalibus an virtute gloriosior, decident Posteri.
Cracouia certè tam pulchro spectaculo satiari satis non potuit,
Vbi in quandam scenam descendit nobilitas & probitas.
Vtcunq; pulchram ex se virtutem dicimus,
Pulchrior tamen est, quò nobiliori natali insidet.
Pretiosa gemma, sed pretiosior auro inclusa.
Illustres ab artifice acu flores,
Non ita tamèn in vili gausape, vt in Tyri purpura.
Emicuit in hoc Præsule castitas pulcherrimè,
Vt scias eum è Pudici venisse disciplina.

Suam

Nec tanta difficultas Achillium,
Modo Chironem agat, qui sceptra gerit.
Periculosus Oceanus vtcunq; dicitur Aula
Probitatis tamen Liburnicam Ethesijs stipat:
At castus vt ipse PROCOPIVS,
Ita castitatis & arctioris disciplinæ in Clero suo exactor.
Quod nosset *vacare vitiis ingenia,*
Quæ non implentur virtutibus:
Vt & ager cessante cultu inutilibus herbis sponte se onerat
Nec odisse ausus castimoniam Clerus,
Quam à Pontifice sciuit adamatam:
Quæ hic terit, ea & ille sequitur Vestigia
Regius interim Honor Poloniam respicere cæpit.
Nam à cæso STANISLAO
Per annos CC.XV. Duces habuit Polonia non Reges,
Sublatis Regnorum titulis in delicti pænam.
Donec PRÆMYSLUS coronari tandem voluit, quia meruit.
Ingenti omninò animo.
Cum creandi Regis suffragium sola sibi virtus vendicat.
Ambitio aliquando ad imperium aspirare potest;
Illius tamen obtinendi prærogatiua probis potissime concessa.
Nõ adfuit basilico Coronationis actui PROCOPIVS infirmitate detentus.
Lætus tamen audijt
Per IACOBVM SVINCAM Archiepiscopum Gnesnensem,
Præmyslo impositam Coronam Gnesnæ,
In illo nimirùm nido, qui Aquilas nisi recipit.
Atq; serenata sta im omnia, vbi AUGUSTUS subiit PHOSPHORUS
Beneficum verò radium sensit PROCOPIVS
Auctis à Principe Episcopatûs sui prouentibus.

 Coro-

Coronato capite vel hinc Maiestatis memore
Quod Regium nôsset dare.
Nec pulchriùs erat Regalis animi argumentum,
Quàm munifica talitèr manus.
Magnitudine beneficij simul amor, simul nobilitas animi ostēditur
Munus Principis, munus est Patris;
Tam suaue nomen ex sola largitate noscitur.
Ara publica est omnis Regnans,
Ad quam communia vota beantur.
Imò solis æmula quæuis Maiestas,
Cæteris eminet, vt vniuersis seruiat
Sedit PROCOPIVS annis duobus & aliquot mensibus
Anno tandem Domini M. CC. XCV.
Sacramentis munitus ad cælos euolauit.
Ibi coronandus ipsemet
Postquàm in terris inaugurationis Præmyslianæ spectaculo
Non posset oblectari.

PROCOPIO ROXOLANO
ODE XXIII.

AH! quam molestum est, quòd grauior tuum
Corpus Procopi *corpus in ambulat,*
Nouaq; quod morbus coborte
Insideat, maciesq; duro
Maligna lecto affigat, & aspero
Dolore torquens sollicitus dies
Noctesq; tædijs fatiget;
Nec placidam patiatur atrox

Specta-

Spectare pompam languor; & interim
Polona tellus gaudet, & interim
Instaurat ingentes triumphos
Gnesna Aquilæ decorata nido.
Regale quando cum diademate
Præmyslus aurum, ac secla duo supra
Vagam paludatus coronam
Cum trabea tituluq; Regni
Capit, fauentis non sine maximo
Amore cæli quod pariter Lechus
Regem salutare, & priora
Dant superi retinere sceptra.
Sic Martialis sic rigidus chalybs
Prælusit auro; prodroma Regiæ
Sic cydari præmissa laurus:
Sic Rubicon Tyrij subiuit
Vices fluenti, non alio madens
Ad irrigandas murice purpuras,
Cruore quàm hostili. vibrato
Sic toties operosa ferro
Manus capessit pomum: ab aheneis
Sic ad thronos ascenditur ensibus:
Vertexq; sæpiùs coruscam
Pro galea recipit coronam.
Immane quantùm res ea languidum
Et tanta turbat scena PROCOPIVM
Dum SVINCA Præmyslum coronat
Pontifices dum alij ministrant.

Et ille lecto non secus ac graui
Defixus hæret carcere, nec potest
Caput coronatum fideli
Obsequij celebrare cultu.
Sed iam PROCOPI lætior hinc tuos
Solare morbos: in solio nouus.
Quod iste vix Titan refulsit,
Cuncta suo recreauit ortu
Et te serenat. Cracouiensibus
Dum de salinis auxit Episcopi
Census, & æternùm futuris
Præsulibus retinenda fecit
Tam liberalis dogmata gratiæ.
Sic digna sceptro mens agitat nihil,
Quod non perennatura præstet
Munificæ monumenta dextræ.
Regnare sic qui promeruit benè
Scit esse Regis spargere gratias;
Iras Tyranni. Pulcher auro
Qui radiat rutilante vertex:
Sed esse largus si meminit quoq;
Idem ille vertex; nobiliùs micat:
Nec gemma pulchrior coronæ est,
Quàm meriti meminisse Cleri.

IOAN-

IOANNES MVSCATA SILESIVS.



AFfinitas quædam est inter Librum & Tiaram.
In alijs enim aurum sunt literæ;
In Præsulibus pretiosissimæ gemmæ,
Quibus destitutus Antistes
Sub purpurato vellere brutam pecudem agit.
Magnum ingenium vbicunq; steterit, paratam scenam habet:
Eiusmodi tandem plausus alios decet, Pontifices concernit.
Ideo MVSCATA
Præmisit Philosophicam lauream Pontificiæ Mitræ.
Pontifex egregius, nisi quia VLADISLAO Loctico non placuit.
Vel quod deformis obsequij iter pergere noluit;
Vel quia *fato & sorte nascendi*

Bono Pontifici nocuit ortum fuisse è Silesia,
Quæ VENCESLAI Bohemi imprimis studiosior
Opoliensium deinde Ducem BOLESLAVM
æmulum dedit VLADISLAO
ALBERTO quodam authore,
Qui VLADISLAI pertæsus alium accersiuit,
Pro inconstantis animi ingenio
Cui noua nescio quo fuco se adornant,
Ac plerumq; nobis iam rebus beatiora esse videntur.
Et vt *mos populi* quia *venturus amatur*
Venit citis itineribus Cracouiam VLADISLAVS,
Et Gigantem ex tanto cursu diceres, non Locticum:
Et Regni inuasorem belli metu terruit.
Vt potè
Altera Proserpina est, Purpura:
Nunquam sine corriuali ambitur.
Pro tam venustâ Virgine certant
Mars clypeo melior, Phœbus præstantior in arcu.
Omnis Regia, Andromeda est;
Quæ non caret suis procis:
Quorum tamen amor in furorem communiter degenerat.
Neque ausus vlteriore sceptrorum siti æstuare
Opoliensium Dux: Silesiam repetijt.
Interim in desciscentes partim votis sæuitum, partim patibulis.
Domestico regnaturis malo
Vt non euadant ad Purpuram, nisi per sanguinem.
Plerumq; signatur cruore via, quâ itur ad solium;
Vt ferè fiat cum terrestri, quod cælorum regno:
Vim patitur & violenti rapiunt illud.

Insimu-

Siue fauerit terrigenæ Principi, siue fauisse tantùm creditus.
Rarò quippè de aliena vita rectè iudicatur;
Ferre sæpius proprio creditur motui.
Et quidem in sinistram partem strenua credibilitas est semper.
Iussu igitur Principis à Toporiis captiuatus
Carcerem primò, deinde exilium subijt.
Insigni sapientiæ præstito documento
Nam panoplia non alia melior, quàm patientia
Nimiùm terreus fluuij margo citò atteritur;
Firmum scopulum fluctus ostendunt.
Atquè pulchram satis tolerantiæ scenam dederat exul Pontifex,
Cum tandem cælum illius partes suscepit
Fame imprimis, & deinde peste in Poloniam immissâ.
VLADISLAVS verò monitus ob deliriū suū Poloniā tantopere plecti.
Abundè didicit *Principum etiam defectibus non deesse pænam.*
Quacunq; incesserint delinquentes,
Viam habent non absq; scrupis.
Ergo vexato Episcopo reconciliandus, eum ab exilio reuocat,
Damnaque omnia resarciens culpam deprecatur.
Nimirùm
Opprobrium non est & Maiestatem demitti.
In aulis etiam habet locum delicti dolor,
Non semper assuetudo peccandi:
Reuocatus MVSCATA,
Sed antequam ad Episcopatûs possessionem peruenisset,
Paralysi tactus Cracouiæ obijt:
Aut potiùs in exilio veram Patriam inuenit.
Anno exulis olim in terris DEI M. CCCXX.
Episcopatûs anno XXVI.

ODE XXIV.

AVdite Reges, imperij quibus
Concessa laus est. Suspicio citò,
Quod concipit, parit: diu nec
Marmarico cum elephante prægnat.
Informe monstrum est; imò veneficam
Circenq; supra: quod sanie statim
Atroq; perfundit veneno,
Quod, volucris velut vna virgo
Harpya, quidquid tangere cæperit,
Omninò fædat. Perdidit integras
Hæc saga gentes, putridosq;
Cerberei latices auerni
Infudit orbi: quando Tyberius,
Neroq; quando, turbaq; Cæsarum
Illa illa bis sena imperauit
Ausoniis moderando sceptris.
O! quot Latini non ibi sanguinis
Fusum. petita est Roma quot ictibus;
Romana dum pubes, & illa
Americes Asiæque victrix,
Quæ Barbarorum fundere nouerat
Nuper cruorem; iam miserè suo
Vrbs stagnat in tabo: atq; Tybris
Qui galeas clypeosq; quondam

Peri-

Periclitantûm voluerat hostium;
Iam propriorum corpora Ciuium
Immensa voluit, per plateas
Sanguineis fluitando riuis.
Et id ferendum; si adminus vltimâ
De fæce plebis, si populus minor
Vilisq; tam crebris dolentem
Funeribus laceraret vrbem;
Sed sæpe primus quò dedit amplior
Lucina cunas, quò magis eminet
Natalis ingens, clariùsuè
Quo patriæ micuêre ceræ;
Hoc maior almus Cæsaribus sitis,
Maiorq; orexis: dum Fabiis nisi
Natosq; de magnis Camillis
Continuæ iugulant secures.
Nec vlla causa est, suspicio nisi,
Ingentiori quando libidine
Accensa regnandi cupido,
Nulla licet fuerint pericla,
Ad cuncta pallet: nec sibi nec suis
Credit, sed vnus quò timor impulit,
Et ille vanus; suspicaci
Pergit eò stimulata vento.
Et Te Polonis limitibus quoq;
Tam dura mouit lex, Craciæ datus
MVSCATA Silesi Tiaræ
Ni Lechicum monuisset orbem,

Ni terruiſſet ſceptra LOKIETKONIS,
Et ſæuientem plùs nimio thronum
Vocata de Thracum cauernis
Dura fames, ſociuſq; Pallor.
Quæ dum Lechæos vexat atrociùs
Ieiuna campos, dum comites vocat
Peſtemq; crudelemq; mortem;
Rex monitus veniam precatur
Erroris omnem. Et tempore Pontifex
Quæcunq; tanto paſſus es, illicò
Refundit, ac vltrò laborat
Ad patrias reuocare ſedes.
Sit fulminatrix dextera Principum,
Quos terra Reges ſuſcipit; & DEVS
Inermis haud erit. Monarchæ
In proprios populos timendi,
At in Monarchas ipſe DEVS. Nihil
Sic ſceptra peccant, vt veniam ferant.
Nec plebe per ſola flagellum eſt,
Sunt dominis ſua flagra ſceptris.



HIc demum in Okſzarum Familia natus;
Cum gentilitia Aſcia ſuæ fortunæ eſt Faber.
Ad prona Capitularium vota, vno contrariante Loctico
Eligentium, & ſuas preces appoſuit.
Non indecorum exiſtimans vltrò etiam Purpuram petere
Quod cum optimi Pontificis Cracouiam ſciret indigam,
Seque eum eſſe haud dubiè noſceret;
Minoris inuidiam ſuam, quàm Eccleſiæ vtilitatem fecit.
Et hoc eſt *magni animi*,
Prenſare faſtigia, quibus ſe ſuffecturum ſentiat.
Dignus laude;
Qui vt par negotijs, ita neq; extra illa eſſe deſiderat.
Vt honorem non ſemper reſpuit is, etiam qui non curat;

Ita

Ita non vbiuis ambitio petentis est,
Si consciam meritorum indolem pro competitore habet.
Nec erubuit postea in Insula NANKIERI virtus,
Nam statim angusto nimiùm situ laborantem Ecclesiam,
Basilicam eâ, quam nunc videmus, formâ reddidit.
Æterno beneficentiæ nomine, vt potè in Sponsam
Quam addextrari tantùm non itidem ornari
Æuo suo doluit BERNARDVS.
Displicuerant interim VLADISLAO Loctico
Continua inter Polonos & Lithuanos sanguinis diluuia:
Ideò sanguinem potiùs contrahere maluit,
Gedimini Lithuaniæ Ducis Filiam
Pro CASIMIRO suo petens.
Optimo consilio,
Nam affinitates pulcherrimæ censentur,
Quæcunq; Regnum stabiliunt.
Egregius omninò Hymen,
Qui ita nuptiales accendit faces, vt bellicas extinguat.
Libens annuit Gediminus,
Nisi quod tunc temporis dotem enumerare non potuit:
Sed dotis loco
Poloni Nominis captiuorum XX millia Aldonam secuta
Abundè monstrabant,
Quòd licèt nondum nupta, iam tamen esset Mater,
Tot mancipiorum in libertatem assertrix.
Reductæ in Poloniam Aldonæ pulsabat aures Hymæneus,
Sed obstitit Lechica pietas,
Quousq; gentilis Domina Christianis non initiaretur sacris:
Accepit instruendam NANKIERVS,

Hancq;

Hancq; abundè iam instructam

Vbi sanctioribus vndis è gentili puluere ablui expedierat,
Ad cerimoniam illam catechumenæ Maiestatis votis electus.
Qui augusta lustralia egisse non contentus,
Nomenclator etiam esse voluit,
Pro Aldona imposito ANNÆ nomine,
Vt ostenderet comites semper Nymphis Gratias.
Potuit iam in Loctici affectu triumphare NANKIERVS:
Verùm *flammæ instar est in corde Principum amor.*
Eâdem facilitate quâ succenditur, rursus extinguitur.
Pensandus meritis leuior est plumâ;
Vbi non ad gustum aliquid inuenerit, plumbeas iras gerit.
Quòd pro iuribus Ecclesiasticis acriùs se opponeret NANKIERVS,
Maiestatem inimicam expertus est.
Cubitali Principe tantùm audente,
Quantùm ingens etiam Briareus non præsumeret.
Meritò aliquando diadema deponere coacto,
Postquàm Infulam honorare nesciuit.
Tulit nihilominùs patientèr omnia Pontifex.
Aliàs *pessimo loco sumus,*
Nisi pati iniurias ita possumus, vt videamur non sensisse
Proprium magnitudinis veræ est, non se agnoscere percussum.
Perijt homo, nisi ad ipsa mala induruit.
Grauiorem casum facit, si ferre non vult.
Sed tamen vbi è Cracouiensi Sede ad Vratislauiensem vocatus,
Alienaturus se à VLADISLAO libens transijt.
Nimirùm
Magnum Virum si læseris, vulnerum retinet cicatrices;
Quas vbi offensa animo semel impressit,

V *Ad*

 Ad primam quamq; occasionem rursus stillant sanguine.
Æternus læsæ mentis ictus est; tam facile non sanatur.
Vratislauiæ iterùm pro iuribus Ecclesiasticis
Aduersùs IOANNEM Bohemiæ Regem validus aries.
Vir videlicet fortis nunquàm tardabatur periculis.
Solis etiam æmulo diademate perstringi non sustinuit,
Qui verè fuit Aquila.
Veritate armatus, securus erat
Aduersùs ipsos Regum fasces & secures.
At quantùm illud in NANKIERO!
Quod Vratislauiensis iam Episcopus
Singulis annis Vratislauiâ Cracouiam veniens
Sacros Diui STANISLAI venerabatur Cineres.
Pius Antistes in tanto habuit pretio
Præsulum gemmam STANISLAVM,
Etiam dum in mortalis tumbæ conchâ lateret.
Omnia relinquens, dummodo sanctioribus gauderet Reliquijs.
Mortuus demum anno Dñi. M. CCC. XLI.
Ac à deuota DEO famula auditus in cælum recipi
Inter modulantium Angelorum choros.
Ad immortalitatis nempè portum
Appellenti NANKIERO. an veriùs NAVCLERO,
Celeusma festiuum cecinit cælestis musurgia.
Tendenti ad nuptias Agni conuiuæ lætum personuit melos
Æternitatis circulum ingresso chorostatæ
Supernorum spirituum allusit chorus.
Vocalis denique sanctimoniæ illius fama
Cum silentio in astra non potuit intrare.
Neq; introductio tanti Præsulis
In triumphantis Ecclesiæ Cathedram celebrari sine plausu.

NAN-

NANKIERO SILESIO
ODE XXV.

QVorsum profuso sanguine barbaras
Nutrimus iras? arma famelico
Quorsum, cruentamus furore?
Si melior cynosura pacis
Adest futuræ. Nil tragicis iuuat
Ardere bellis, nil misero trucis
Flagrare Mauortis calore?
Quando suos Hymenæus vltrò
Accendit ignes; proque voracibus
Ardere flammis tæda potest nouæ
Spes certa fortunæ, & tenendi
Marte sine, & sine cæde, Regni.
Vix ista Phæbus dixit; eburneo
Cum vectus Hymen protinus essedo
Adducit Aldonam, quam alacri
Pax sequitur comitata passu:
Et turba Lecho nomine mancipem
Subire vitam nuper ab hostibus
Coacta Lithuanis, Polono
Nunc iterum meliore sorte
Pro dote sponso tradita. Tum obuij
Ad tanta scenæ nomina Sarmatæ
Imus, vereccundiq; pulchrum
Coniugij celebramus actum.
At verò fax hæc connubialibus
Quod sic refulsit lætior ignibus
NANKIERVS author est, in vnum
Qui geminam coijsse nexum
Fecit coronam: pulchro vbi fædere
Inter frequentûm compita plausuum
Manusq; nexuitq; mentes,
Cor socio sociando cordi.
Iuit per Orbem Fama loquacibus
Instructa conchis, quod melior data est
Affinitas nunquam; quàm amico
Quæ stabilit noua Regna vinclo.

IOAN-

IOANNES GROT SLVPECKI.



RAra hæc orbis felicitas, post Neruam Traianus.
In Sarmatia nostra post mille & ampliùs annos erexit caput.
Vbi NANKIERO GROT successit, id est bonus bono:
Aut potiùs
Nec bonus nec meliori, sed optimus optimo.
Et quidem Maiestatis Vaticanæ suffragio,
Quæ IOANNEM hujus Nominis XXII. Pontificem nactus
SLVPECCIO nostro
Non tam fulmina submisit quàm gratias.
Instabat Polonus thronus pro OTHONE Gnesnensi Præposito:
Sed IOANNES contractæ in Bononiensibus adhuc studijs
Cum SLVPECCIO amicitiæ memor,
Contra Purpuræ etiam Sarmaticæ vota SLVPECCIVM substitui.

Opi-

Optimus ille amor, qui è Musis nascitur.
In egregiis & verè amantibus viris
Vbi semel amicitia sedem fixerit.
Tam suaue nomen etiam dignitate non deletur.
Ægrè id tulit diu VLADISLAVS Locticus,
Sed vbi parem omni fastigio aduertit,
Etiam ille abhinc SLVPECCIO addictior.
Vsq; adeo nihil in orbe ferum est, quod virtus non domet.
Sola eximia probitas impetrat fortunam sine inuidia.
Fugit multorum amicitiam Honor,
Vbi tamen dignum animum aduertit,
Pænè in fædera ruens duelli non patitur,
GROT verò apud Regnantem amicitiæ securior,
Cælitum gratiam ambire cæpit,
Radłouiæ Diuum IOANNEM Baptistam
Sumptuoso veneratus templo.
In Cracouiensi Basilica
Altaribus cum VINCENTIO Cosmam & Damianum,
Illum; vt palmari in omnibus Episcopo
Vel nomine suo victorias accerseret:
Hos; vt tutelares medici in quibusuis casibus essent salutares.
Sic dum superis inuigilat;
Pium Antistitem
Terrestris etiam Maiestatis obsequia poposcerunt:
Nam VLADISLAI Loctici funebribus peractis
Electus Rex CASIMIRVS Filius.
Imposita Electo corona.
Iustum erat, vtquæ thori iam esset socia,
In throno etiam & Corona comes foret?

Nec

 Nec dubitatum quidquam Regni Proceribus:
Vnica HEDVIGIS CASIMIRI Mater
Se superstite non passa coronari Nurum.
Domestico ambitionis ingenio,
Vt vix tantùm regnandi libidinem animo concipiat
Cognati etiam sanguinis necessitudinem debilem reputet.
Nimis verum est
Ipsi naturæ vincula dominandi peruersa cupiditate dissolui.
Flexa tamen Casimiri & aliorum cum Slvpeccio precibus
Diui FRANCISCI institutum Sandeciæ amplectitur.
Depositis sceptris, quàm si gessisset, clarior.
Imposito Annæ diademate secuta cum Crucigeris transactio,
Vbi SLVPECCII dexteritas theatrum suum habuit.
Is enim Princeps CASIMIRVS iunior adhuc existens,
Qui nomen tantùm Principis circumferret,
Non item dignum Principe animum.
Et tamen *ad seria Principes nasci ita scitur ab omnibus,*
Vt ægrè subditis placeant, si vel pueri puerascunt.
Cum cæterorum sint capita, plus cæteris sapere debent.
Vt enim omnis ab anima in homine motus;
Ita omnis in subditis à *Principe.*
Crucigeris, subsidiario olim militi.
Sed postea sternaci & nostra rapienti,
Ensem non opposuit.
Quasi Principis inuidiam non tangat,
Si quid subditis defuerit:
Populorumq; & vulgi illi animi non sint,
Vt Regnantes suos ex eorum successibus æstiment.

Dir

Diu ignauia hæc CASIMIRO inhæsit,
Donec è veterno tandem excitatus agnouit,
Quòd lentus in suo dolore debet esse Princeps,
Reipublicæ tamen iniurias donare non potest.
Ideo arbitris CAROLO Hungariæ, & IOANNE Bohemiæ Regibus
Cum Crucigeris egit.
Fauere videbantur vicini Principes,
Sed in quibus laruata sinceritas erat.
Fraus candoris habitum assumpsit,
Et de sinceritatis armamentario aduersùs ipsam pugnabat amicitiam.
Vt fere *falsorum amicorum mos est*,
Addicunt operam, quam nunquam præstent.
Facta nihilominùs conuentio,
Cui non faceret satis mobilitas Crucigerorum,
Verbis fædera ineuntium, quæ factis postea rumperent.
Proinde ad BENEDICTVM Papam IX.
Legatus GROT destinatur.
Non defuit is suo muneri,
Quàm suâ CRVCE Polonos Cyrenæos angariarent Crucigeri, monuit.
Vnde deputati Iudices, qui causam cognoscerent.
Cognouerunt: sed & statim in improbas animas vibratum fulmen,
Vt Romano saltim anathemate terrerentur,
Antequam ad belli seria Mars Polonus descenderet.
Qui cùm postea *ingentes animo, dignas se concipit iras*,
Ac iniuriam suam armis vindicat;
SLVPECCIVS Diæcesi suæ inuigilat.
Bonus Pontifex
Et sub cuius tempora mirabilis in operibus suis Deus apparere voluit.
Nam improborum quorundam auaritiâ
Vestitus accidentibus panis Deus homo cum pyxide surreptus.
Quam vbi æream non auream aduerterunt,

Etiam

Etiam DEVS in pretio non habitus;
Vnde in cænosam paludem abijcitur.
Sed speciosus formâ præ filijs hominum
Luce inusitatâ se manifestans vliginosa palude inquinari noluit
Speculum DEI Maiestatis sine macula, luto infici
Quia luculentam humani generis massam clarificauit in cælo,
Cæno eandem non permisit deturpari
Semel duntaxat limus Diuinitatem occultârat,
Nunc proditor illius exstitit.
Binam simul eclipsim Diuinissimus Sol pati nequibat,
Et Panis accidentium, & vliginis.
Circularis hostiæ rotam diu in luto hærere non sustinuit,
Statim cum ea in altum eluctatus.
Thesaurus hic absconditus in agro,
In lacu iterum abscondi detrectauit:
Nec sanctior Ceres passa sub modio latere.
Nisi forte ideo cæci fures
CHRISTVM in paludem proijcere voluissent,
Vt luto eorum linijsset oculos.
Sed verè ante porcos proiecta hæc gemma
Crassum aliàs lutum politiem didicit,
Quia tantum hospitem tractauit meliùs, quàm homines.
Satis naturâ suâ immobilis palus,
Magis adhuc stupore attonita hæsit,
Ad tam enorme facinus.
Excepit hospitem CHRISTVM Casimirus augustâ Basilicâ
GROTVS verò vbi Ecclesiæ suæ annis IX. præfuisset
Anno Dñi. M. CCC. XLVII. die quintâ Augusti
Augustam animam efflauit.

Ejus corpus à SYLUESTRO OZAROWSKI ampliore loco donandũ,
Ab obitu anno C.LXXV. integrum & ſuauiſſimè redolens repertum.
Diceres buſtum ipſum, mutatum in hortum.
Suauiſſimam roſam redoluiſſe vel ſub cinere.
Sic nempe mira virtutis vis,
Quæ vel repugnante naturâ, quod caducum eſt,
Reddit immortaliter glorioſum.

IOANNI GROT.

ODE XXVI.

ET Te proteruæ, tarda licèt, tamen
Manebit olim pœna licentiæ
Deſtructe Miles, & tyrannæ
Bella gerens potiùs cataſtæ;
Quàm Chriſtianæ ſigna ſequens Crucis
O! Sarmatarum neſcie priſtinos
Prenſare Noſtrorum fauores,
Vel propriæ memor eſſe ſortis.
Vt vt Poloni deſpicis arduus
Et iuſta Sceptri, & iura, prioribus
Superbus è prædis; GROTVMq;
Pro Lechica querulum Corona
Eludis effrons; non fugies tamen
Et Vaticanæ fulmina purpuræ,
Et arma Noſtratis Gradiui,
Qui ibit atrox metuendus haſtâ.

Iam dico Vates, quæ mihi credidit
Futura Phœbus, quæ mihi Delius
Dicenda commiſit Sacerdos;
Theutonicus quia Marte Lecho
Premêrus Ordo: & qui validus modò
In noſtra pugnas Pergama copÿs,
Audace de criſta remittes,
Deq; ſupercilio ſuperbo
Iam dico Vates; multus adeſt equis
Et multus armis ſudor, ab hoſtium
Ceruice fluxurus, priores
Quando Lechus renouabit auſus:
Et tàm rapacem non ſinet ampliùs
In perduellis viſcere Pruſſiæ
Regnare vulturem, voraci
Damna dein repetens ab hoſte
Non lite ſed ferro. Patientia
Sic quippè ſi læſa eſt, furit: & memor
Mars noſter offenſæ paratas
Tam facilè haud remouebit iras.

PETRVS FALKOWSKI.



NOvum tibi in DOLIVA rosetum damus,
Novum in FALCOVIO Hortensium.
Ætas illi cum flore tulit fructum, cum fructu florem,
Vt in vere matura virtus
In vitæ etiam Autumno vernare non desierit.
Adeo *egregia indoles extra iurisdictionem ætatis est.*
Concitatur ad honesta, etiam supra annos.
Cypridi capitalis hostis,
Cuius odio formosissimam Virginem Castitatem secum circumduxit,
Quam Sacrosanctam per omnem vitam habuit.
E Regni Procancellario Cracouiensis Antistes electus,
Auenionem petijt ad CLEMENTEM VI.
Non quod per Delegatos electionis suæ confirmationem

Obtinere non potuerit;
Sed quod Regnantis CASIMIRI ea necessitas fuerat,
Vt Legatus hic à Principe suo iret.
Et causæ videlicet primæ per causas secundas agunt.
Nullus Iupiter absq; suo Mercurio.
In Diuinis etiam reperias Filium mitti à Patre,
Vt Verbum à Mente.
Iuit FALCOVIVS, suaque facillimè promouit:
In CASIMIRI negotijs nodum & saltum expertus est.
Lignum missum, caue dixeris;
Mercurius fuit.
Obsequia ab animo metienda sunt; non à successu.
Conatus inspiciendus, non euentus:
Rarò quippe ijsdem confinius se tenent velle & posse.
Ideo facere aliquid feliciùs potuit FALCOVIVS, nihil exactiùs.
Illud cum Crucigeris negotium nactus,
Quòd faciliùs componeretur conto, quàm Conso.
Fulminis Romani terror nihil mouit insolentes Ægeones:
Quibus in decisionem juris
Ferrum magis placuerat, quàm Vaticana authoritas.
Graue id erat magno Legati animo,
Militantem pro CASIMIRO habere iustitiam, non item fortunã:
Vnde dolore tabescens anno Dñi. M.CCCXLVIII.
Auenione moritur ac sepelitur.
Documento multis
Quod Principibus famulari, sacrificium est pa
Imò mortis plerumq; peruigilium,
Nimia de domini sui rebus cura.

PETRO

PETRO FALCOVIO.

ODE XXVII.

DAmnare duræ non sinè lugubri
Fletu volebam fata Proserpinæ,
Sæuamq; vindicare mortem
Pierio metuendus arcu.
Tam cruda nostro quod fuerit PETRO,
Vt & fluentis fila recideret
Optata vitæ, destinatam
Et raperet violenta Mitram:
Sed cum supremo sic placitum Ioui,
Diuisq; cunctis, vt cui contigit
Natum esse tantùm; speret atri
Iura sibi subeunda fati:
Et vita morti nostra vel omnibus
Præludat horis; nil lachrymæ iuuant
PETRVM parentales sepultum,
FALCOVIO nihil addit vdi
Procella planctùs. Viuimus, & simul
Parata morti victima viuimus:
Natique vix sumus, tenellas
Ponè statim manet vrna cunas.
Iter peregit; quisquis ad vltimam
Peruenit horam: non lapis hîc viam,
Non saxa distinguunt: vt anni
Desierint, sibi quisque certam

 Venisse

Venisse metum nouerit. Vltimum
Spectamus omnes quotidie diem;
Sed tempus haud idem: relinquit
Hunc medio sua vita cursu,
In primo at illum: deserit alterum
Virilis ætas, detinet alterum
Protracta longiùs senectus:
Siue hodiè tamen ille finem
Heriuè nactus, iam stetit in loco
Vterq; eodem. Tempora funeri
Nocere non possunt, suumque
Ille tulit tulit iste fatum.

Nec est quod obstet conspicuus suis
Honor lupatis: sæpiùs aureâ
Is esto subuehat curuli,
In medio statuatq; celsum
Subinde cælo; mors properis venit
Et huc quadrigis, ac tumidâ simul
Deturbat è sella sedentem
Funebribus tumulatq; bustis.
Hinc sceptra multis non nisi per dies
Gestata paucos, hinc breuibus nisi
Portata mensibus corona,
Et modicos alijs quadrantes
Concessa Regni purpura. Parcere
Mors surda nescit, progeniem Ducum
Regumq; sanguinem, peractis
Magnificos perimit triumphis.

Vnum

Vnum eſt, quod acris damna reſarciat
Illata mortis; nobilis integrum
Si vita decurrit per æuum,
Egregijs celebrisq; factis;
Sat longa vita eſt. Quàm benè vixeris
Hoc intereſt, non quàm diu: inutilis
Eſt curſus annorum, volantes
Si vitijs temerantur anni.
Se quisq; fatis vindicat, indolem
Si monſtrat actis: Neſtoreæ quoq;
Ætatis & longæ ſenectæ
Sæpè pudet, viduata poſtquàm
Virtute mens eſt: Non moritur, bona
Pro quo perorat fama, nec vltimum
Agnoſcit occaſum, futuris
Quem memorant proba geſta faſtis:
Viuet IOANNES FALCOVIVS nouus
Non vana quondam fabula ſæculis,
Eſto Tiaratos ſeueræ
Soluit ei Libitina faſces:
Sat quot dierum non numero ſuos
Eſt menſus annos, ſed meritis; quibus
Et fama ſeruit, & fugaci
Perpetuum ſine fine Nomen.

BODZAN-

BODZANTA IANKOWSKI.



Pro more Pontificum Romanorum
Muneris loco non aliam meliorē ROSAM offerre potuit CLEMENS VI.
Quam hunc Rosinum.
Dignum ſane Pontificiâ INFVLÂ,
Licet non à Capitularibus electum.
Securus iudicij omnium, qui pro ſe Vaticanum habet.
Prima hæc in terris poſt Deū poteſtas cūctorū calculos ſuperat:
Et ſatis tutè auguſtalia honoris intrantur,
Ad quæ PETRI clauibus aditus patet.
Magnis natalibus illuſtris
Pietatem etiam cum gentilitio flore
In Conceptam ſine labe Virginem vernare voluit.
Seu BODZANTÆ fuerit veneratio in tantam Matrem:

Super

Super draconem & basiliscum ambulanti Dominæ
Pauimentum se substrauit,
Omni reuerentiâ maius existimans,
Vel cum basilisco, dummodo ad MARIÆ pedes abijci:
Seu securus conscientiæ suæ Pontifex
Respicere se voluit in speculo sinè macula,
Virgine inquam conceptâ.
Progressa pietas hæc in alios Diuos,
Post castrorum aciem ordinatam in Marianos nempe Heròés.
Quos partim altaribus, partim decimis veneratus,
Stipendiarios sibi reddidit.
Nec enim in terrestria tantùm Numina,
In superos etiam viscus quidam est
Beneficæ manûs liberalitas.
Non perditur quod offertur Cælitibus:
Sementis hîc sparsa nimium quantùm fructificat.
Hucusq; tamen Rosinus noster sinè aculeis,
Illum deindè Cupido impunè non accessit.
CASIMIRVS enim in cæteris Magnus, in eo vnico paruus,
Quod Veneris puero mancipari non erubuit.
Ad Russicam expeditionem iuerat inusitato heroibus passu,
Vt securior videretur victoriæ, quàm hostis pugnæ.
Dubiumque reliquit,
Victorias faciliùsne conceperit an continuauerit.
Breui admodũ spatio Leopoli, Præmyslia, Trebovlia, Chelma,
Et pluribus alijs munitionibus potitus, victor redijt.
Excepit reducem Fama & insolens hominum plausus,
Obuia interim Marti Polono Venus lenocinari cæpit.
Qui tot victorijs clarus,

 Dum

 Dum pro pudore non excubat, lasciuiæ aditum facit.
Quasi ad Herculeos quoq; labores pertineat,
Libidinibus infamari.
Nec in vnius tantùm Ióles sinu effæminatus quieuit Alcides,
Sed Opocini, Cressouiæ, & alibi plures Thespitiades tenuit,
Legitimâ Deianirâ in Zarnouecensem arcem relegatâ.
Pertinuerat ad Gnesnensem Solem,
Vt infamiam hanc Martis nostri cum Venere detegeret.
Sed siue in Iaroslao è uiuis sublato occiduus ille,
Siue in Oporouio adhuc non confirmato necdum exoriens,
Noctes suas agere incontinens par dissimulauit.
Non potuit Cyprum in Polonia pati BODZANTA,
Hæreditarium Cracouiensi INFVLæ ratus
Dehortari Maiestatem, vbi deliquit.
Quare ne negligentia puniendi audaciam peccandi pareret,
CASIMIRVM officij admonet.
Quatenùs *videat*,
An non pulchriùs Marti Polono cohabitet Bellona.
Haberet sibi suam Cypridem deformis Vulcanus,
Serenissimum Iouem propria Iuno decet.
Pessimè orbi subdito, vbi pellices cælum tenent.
Dixit BODZANTA:
Sed heu! *apud vitiosum Principē crimen est pro virtute loqui.*
Obcæcatus CASIMIRVS,
Vt agnosceres Cupidinis discipulum.
Ægrè corripi passus,
Pro pastoralibus monitis odium opposuit.
Apertè monstrans,
Quàm periculosa in potentem animaduersio:

Exulce-

Exulcerat satiùs, quàm sanat.
Delicati sunt Diuitum mores, reprehensionem non ferunt:
Quæ vitia sunt; elegantias & decora putari volunt.
Vnde non in Pontificem tantùm, sed & in subditos Pontificis iniurius,
Vindictam protulit in commune.
Acsi odia priuatim ardere nescierint,
Nisi totam pietatem extinxissent.
Deposita ab Episcopis omnibus querela Romæ,
Vnde in deuiantem anathema vibrari iussum.
Verùm è tot Polonis Aquilis nulla fuit,
Quæ auderet esse ministra fulminis.
Regnantium ea apud multos maiestas est cum Appio,
Vt non minùs timeantur rei, quam sedentes in throno.
Vires in alijs non habet accusatum scelus,
In Principibus validissimum est semper.
Detulit tamen fulmen MARTINVS BARISCA,
Quo augustum terreret Gigantem.
Sed anathemate percussus CASIMIRVS non perculsus,
Ministrum fulminis Presbyterum fecit Vistulæ immergi.
Adeò
Facilè rationem opprimit, quando additur iræ potestas.
Alia animi mala pessimis quibusq; communia sunt;
Excandescentia & furor apud maximos hereditant.
Merso tamen Bariscâ submergi non potuit innocentia,
Quæ è medijs vorticibus eluctata CASIMIRO bellum mouit.
Fame, morbo, & hostibus, militaribus quodammodo copijs
In Poloniam præmissis.
Infelicitas hæc populorum, vt regnantium peccata luant.
Et maculæ vel eclipses in Serenissimis solibus
Subiectis terris potissimè sint nociuæ.

At

 At sæpius salutis exordium sæuitia calamitatis attulit.
CASIMIRVS vbi aduertit nec Purpuram tegere à vindice DEI manu,
Romano Pontifici & IANCOVIO supplex veniam petit.
Remissum est de Anathemate.
Vix enim quietem haberent Regna,
Si vitijs Principum irasci liceret semper.
Soles sunt coruscantes in throno Reges;
Serenissima luminaria non nouum obduci subinde nubibus.
Ergo Cupidinis castris abiectis CASIMIRVS de superis mereri cæpit,
Honori eorum grandes basilicas exstruens.
Errat quisquis vitijs non præfixit terminum.
Vtcunq; singula vitia suum iter illudq; præceps habeant;
Datur tamen illis meta terminalis.
A desperatis excluditur errandi finis,
In hominibus tamen alicuius spei
Esto peccata quandoq; diuersim cant, tamen sæpius rediguntur in ordinem.
Imò
Deliquisse, vlterioris delicti non semper est prophetia;
Aliquando etiam cautela.
Gauisus hâc Principis metamorphosi IANCOVIVS,
Viuus esse desijt anno à partu Virginis M. CCCLXIV.
Ad domesticam illius ROSAM si respicis
Pone vel in tumulo & *clausa quoq; redolebit.*

BODZANTÆ IANKOVIO.

ODE XXVIII.

E*Mitte fulmen, rursùs idem loquor,*
Emitte fulmen. Præsuleâ nitens
BODZANTA IANKOVI tiarâ,
Nec solium manet à minaci

Immune

Immune nimbo, si vitijs suam
Fædat coronam: conscia criminis
Tam sceptra quàm fasces patrati
In medijs etiam indigebunt
Censore regnis. Non trabeæ tegunt
Non mitra culpam; purpura murice
Non tincta fulgenti: *vt quis atræ*
Vela dedit sinuosa noxæ,
Immane quantùm prouocat asperam
Tonantis iram. Mitte sonabile
BODZANTA IANKOVI tonitru;
En Lechiæ Phaëton iugales
Iungit caballos, en capit insolens
Auriga currum, loraq; nescijs
Regenda dextris apprehendit,
Et celeres male doctus axes.
Pro Æthonte verò freniuoras vomens
Libido flammas hinnit; & impetus
Quàcunq; tantùm egit, Cupido
Dat Paphijs sua vela tædis.
Nec iam Caicus, vel Babylonio
Cum Euphrate Ganges ardet ab ignibus,
Non Phasis æstuat vel Ister;
Vanda Lechi Phàëtontis ignes
Et Regna flammam subdita sentiunt,
Quando ille turpi frena libidini
Concedit impurus, procusq;
Illicitos flagrat inter æstus,
Dictu pudendum, fædus. Et interim
Inflicta plebem vulnera sauciant

Genteʃq;

Gentesq́; subiectas, dum & hostis
Sarmaticos populatur agros,
Et dira fasces arripiens fames
Ab vsq́; Thracis littore Caucasi
Vocata, lethalisq́; morbus
Per Lechicum dominatur orbem.
Emitte fulmen: quorsum ita Regius
Proserpet error, non benè subditi
Errata Principum luemus,
Quisq́; suæ faber esto, quisq́;
Felicitatis sit suus artifex.
Si sceptra peccant, sceptra satellites
Damnentur ad pænas: Achivi
Pro Dominis male vapulabunt,
Peccare si fas his nisi, & vltimam
Subire pænam illis. Vbi prênditur,
Et culpa castigetur illic,
Fert propriam sibi quisq; sortem.
Fallor? vel en iam IANKOVII manu
Fulmen vibratum Regia perculit
Tàm sceptra, quàm Regale obryzum;
En Cypridis CASIMIRVS olim
Alumnus ingens, fulminis horrido
Fragore tactus, de calidis satis
Remittit ignibus, famesq́;
Ad patrias reuocata sedes
Glebam Polonam deserit illicò,
Morbusq́; tandem desinit aridas
Vexare venas. O Poloni
Grande iubar columenq́; Craci
BODZANTA noster, morbida corpori
Incisa per Te vena, sed à graui
Vt sana reddatur dolore.
Sæpè iuuat medici molestum
Sufferre ferrum, dummodò pristinus
Redire possint & vigor & salus:
Culterq; non nocet, si ab illo
Scissa iterum reuirescit arbor.

FLO-

FLORIANVS MOKRSKI.



NOuam tunc ex Cracouia Florentiam diceres;
Vbi post innutrita Rosis capita, in Cathedra euiruit FLORIANVS.
Quanquàm non tàm Nomine hic vernare voluit, quã operibus;
Pulchriora semper ducens Floralia,
Quæ ex virtutis, & meritorum, cultura procederent.
Diœcesis suæ amantissimus vbiq;,
Quam exstructis basilicè templis ornauit,
Argumento alijs;
Patrimonium Christi melius impendi, ditandis cælitum aris,
Quã vt aliquid vsurpet licentia, omnia per insolentiã profundẽs:
Bithomiensibus fulminalis Pericles, ob crudele in Sacerdotes Iudicium,
Quorum sanctior erat character,
Quam vt profanorum Ciuium decreto ad mortẽ scriberentur.
Vindicauit audaciam Plutus

Ex

 Ex Bithomienſibus fodinis, cum plumbo & argento ſe proripiens.
Vt diſcerent potiſſimùm illi,
Qui ſcelerum aſylum diuitias exiſtimant.
Vtcunq; pene Nominis etiam ſocietas quædam eſt
Diuitijs & vitijs;
Suæ tamen inimicitiæ ſæpius inter has res intercedunt:
Et malum omninò argumentum,
Sequacis ſcelerum animi, opulentia.
Potuitq; redire interdicti relaxatio, non item metalli prouentus.
Durum omnino animal eſt argentum cum opibus:
Vbi ſemel efferatum fuerit, cicurari ampliùs non patitur.
Taliter Eccleſiæ ſuæ, dum intendit MOKRSCIVS,
CASIMIRVS Magnus in viuis eſſe deſijt.
Quo fatis functô Polona neceſſitas reſpicere cæpit,
Quorsùm cum diademate diuerteret.
Extinctus in CASIMIRO Piaſti ſanguis,
Domi non reliquit, qui Purpuram capeſſeret,
Non quod ea in Polonis inopia, vt ſceptris impares eſſent,
Sed quia iam ab ipſo Piaſto practicari deſijt,
In Regales trabeas, ex Equeſtribus cunabulis eligi.
Deſtinatus LVDOVICVS HVNGARVS, vltimis CASIMIRI tabulis,
Et in hunc Sarmatiæ vota ibant,
MOKRSCIO Poloniæ vota deferente.
Sed ſtatim excuſare diadema incepit LVDOVICVS,
Satis ponderis exiſtimans Hungariæ Coronam.
Regnandi onus difficiliùs,
Quam vt illi ferendo vnius humeri ſufficerent:
Quid vbi gemini cæli vocarent Athlantem?
Nunquam magna Imperia otioſa:
Imò priuati plerumq; ſecuritate gaudent,

Prin-

Principum capita mille periculis obnoxia.
Fretum non portus est omnis thronus,
Vbi meræ Scyllæ & Charybdes.
Precibus tamen MOKRSCII victus submisit diademati caput,
Dignus semper Regno, si Regnum dedignatus vlteriùs fuisset.
Nam breui postea & MOKRSCIO & Polonis ostendit,
Vt coacta ingenia Purpuræ etiam non benè respondent.
Deductus solenni pompa Cracouiam,
Simul ista inuenit *odium atq; Regnum.*
Non tàm subditi populi, quàm arrogantiæ propriæ vitio,
E gemino sceptro fastuosioris.
Quæ dum metum sui faceret, amari non meruit;
Documento Regnantibus,
Quod raro secum conueniant *nimia Maiestas & amor.*
Reuerentiæ minuitur, quidquid accedit superfluæ grauitati.
Fæderati sunt Principibus Ciuium amores,
Vbi & Principum sua in Ciues dignatio:
Iam si pedissequus inest his fastigij fastus,
Etiam & subditus satelles odium.
Offensis Maiestate peregrina Polonis
CASIMIRVS Magnus in memoriam redijt;
Cui dum LVDOVICVS funebria solenniter peragit,
Lugubris populus lachrymis parentat.
Monumenta Principum plerumq; sunt corda subditorum.
Nec sumptuosiùs Imperantium manes quiescunt,
Quã vbi non tam strue lapidũ, vt pectoribus populariũ claudũtur.
Frigida ad posteros marmorum oracula,
Melius, si memoriæ populi linguæ loquantur.
Ita gloria CASIMIRI fuit sic placuisse,
Vt nomen LVDOVICI inuidiosum fecerit.

 Qui

Qui dum natalis Hungariæ nimiùm memor
In Polonia quoq; Pannonicus esse desiderat,
Hungariam paritèr Polonis inuisam fecit.
Puduit aduentitij sceptri libertatis suæ memores,
Quia non Domino tantum absenti, sed & Genti,
In qua Dominus degeret, seruire videbantur.
Nec Regiæ Matris præsentiâ contenta Polonia.
Vtcunq; illa ELISABETH fuerit, non tamen è Gratiarum numero.
Quarta potiùs Furiarum, non Charitum tertia:
Et Tysiphone magis, quàm Euphrosyna.
Per Filij absentiam, gubernatrix apud nos Domina
Non leuitèr offendit,
Quod viris imperare præsumeret fæmina, & adhùc superba.
Nunquam scilicet insolentiùs sceptro vtuntur,
Quàm quibus ad fusum & colum nasci contigit.
Potestas in manu fæminæ, Regnorum est laniena:
Quo leuiùs imperat, grauiùs torquet.
Primò tunc pænituit MOKRSCIVM, expetiti ad sceptra LVDOVICI,
Impatientem omninò ad Gynæcei imperia
Sarmaticis Asbactis & verè viris nimiùm semper exosa.
Inuenit tamen LVDOVICVS,
Vnde Tyranno nō absimilis Dominus beneficus esse videretur.
Ecclesiasticis agricolis imposuit vectigal,
Non parua Antistitum solicitudine,
Quod viderent se à LVDOVICO opprimi,
Quos Antecessorum pietas immunes fecisset.
Consilium initum Calissij.
Vnde FLORIANVS iterum in Hungariam Legatus,
Principem certiorē reddidit, quàm grauis est onerū impositio.
Immoderata exactio, peculiaris est præda.


Sanguis

Et puduit LUDOUICUM, non facere omnia in gratiam MOKRSCII,
A quò coronam oblatam habuerat.
Tributum omne remisit
Vt MOKRSCII gaudio, ita excipientium applausu.
Videlicet *beneficij instar est*
Ab oneroso Principe deprecata subinde iniuria:
Et pro gratia creditur alleuiatum saltem onus.
Diu inter Principem & Polonos meditator MOKRSCIVS,
Tandem exactis in Insula Annis XI.
Negotijs & vitæ finem imposuit
Anno Dñi, M.CCCLXXVIII.

FLORIANO MOKRSCIO.
ODE XXIX.

SVb Rege si quid Pannone Lechicus
Perpessus Orbis; MOKRSCIVS omnium
Insons & immunis, sed astra
Sarmaticis inimica rebus,
Sed fata Nostris non benè partibus
Propensa, quæ Regem Hungariæ throno
Curisq; distentum Polonis
Pro Domino posuêre Regnis.
Nil sole cælum clariùs; aureo
Nil æthra Phæbo celsa tenet, tamen
Vni ille si polo refulget,
Occiduus iam alij serenos
Occultat ignes. Nec geminis manus
Est apta sceptris vna, humeri licet

Atlantis Alcidæq; portent,
Indubiè duplici fatiſcent
Sub mole preſſi. Difficile eſt onus
Grauisq; ſemper ſarcina, purpuram
Geſtare Regalem; lacertos
Regna volunt oneroſa fortes.
Sat grande munus Pannonicas fuit
Rexiſſe terras; quid Lechiæ preces?
Quid vota gentis ſupplicantis?
Vt Patrium LVDOVICVS orbem
Regnumq; præter, noſtro etiam ſuos
Accommodaret Regno humeros. Dies
O inter infauſtas notanda!
Quâ ſolio fuit expetitus,
Pannon vacanti. Non ea MOKRSCII
Eſt culpa, ſed fati. Iuit hic à ſuis
Miniſter haud author Polonis,
Et Dominum petijt, Polona
Quem iam vrna dixit, quem tabulæ vltimæ
Tàm CASIMIRI, quàm Patriæ minùs
Fortuna Noſtrati fidelis,
Quem Lechicæ ſtatuêre voces.
Et Regna magnis caſibus obuiant,
Nec tàm beata eſt vlla Colonia,
Quam fata non vexent iniqua.
Nulla dies, variare rerum
Quæ cruda rectum neſciat ordinem;
Thronusq; primò qui tenuit Patrem;
Breui Tyrannum vel rapacem
Pro domino patitur draconem.



N*On naturæ tantùm humanæ effætæ sunt, sed & sæcula,*
Vbi semel ac iterum magna ediderunt nomina;
Aut nihil demum pariunt, aut monstra.
KVROZVANSCIVS Episcopus Cracouiensis,
In quo pulcherrima illa bonorum Præsulũ series nonnihil interrupta.
Ad Pontificios fasces
Non aliunde majus suffragium nactus quàm ab Aula,
Destructiore temporis illius schola,
Et vbi feliciora erant vitiorum quàm virtutum studia.
Profanis negotijs nimio plus intentior
Majestati terrenæ placere magis studuit, quàm Diuinæ.
Domestica Aulicorum infelicitate,
Vt humanæ potentiæ studiosi minorẽ curam Numinis habeãt.

 Et vbi nimius erga sæculares Dominos amor occupauit corda,
Timor & reuerentia Numinis sit in contemptu.
Meritus nihilominùs de Superis
Fundato Mansionariorum Collegio:
Et hoc erat parare sibi quodammodo mansionem in cælis.
A Rege LVDOVICO è Comitijs Budensibus
Magistratuum Poloniæ distributor factus.
Vt ad quos fortuna tantùm vellet respicere,
Hos Infulatus hic Mystes in felicitatis adduceret sacrarium.
Castellaniâ nisi & Palatinatu Cracouiensibus
Regio arbitrio relictis.
Grande id felicitatis argumentum,
Fortunam dispensandam habere in manu.
Æmulatio enim quædam Diuinitatis est,
In terris suas habere creaturas.
Plasmare aliquam personam par cum DEO elogium.
Vt sint felices, multis concessum est;
Vt felices alios reddant, nonnisi Maximis.
Veneritne aliquis ex eius commendatione in gratiam beneficæ Deæ;
Nihil de hoc annales Polonici.
Et tamen indignus Fortunæ beneficio, non munificus in alios:
Fontis eò maior laus, quò latius in commune deuoluitur:
Felicium quoque, quò plures beant.
Hoc certum,
Quia munifici in se Principis nomen inuidiosum fecit.
Agente enim apud Hungaros Lvdovico nulla de nobis cura.
Pulsa in exilium iustitia:
Qui Polonorum causas cognosceret, nemo fuit.
Quærebant profugam Poloni, & Budam vsque petebant,
Verùm qui ab hominibus iustitiam expectat,
Nescit

Nescit à quo tempore Themis ascenderit in cælum.
In polos abijt, vt in terris coleretur;
Iam sicut præsens non æstimabatur Numen,
Ita & absentis nulla reuerentia.
Destinatus KVROZVANSCIVS, qui exulantem restitueret:
Sed is assignato iudicijs tempore non comparens,
Lachrymas populis elicuit.
Vt omninò patuerit, *bonum Iudicem*
Sæculorum frequentius votum esse quàm spectaculum.
Obijt deinde anno Dñi. M. CCC. LXXX. Pontificatus sui II.
Obitum ejus variante Famâ.
Vt pote *peccati communiter sequela est, infamia.*
Delictorum pedissequa, mala opinio.
Funus sæculari pompâ à CESLAO Parente deductum.
At frustra marmoribus fama quæritur,
Quam moribus mereri non libuit.
In ignominiam vergit extinctorum cinerum solennitas,
Qui tenuem boni nominis ignem fouent.
Modicus à cupresso plausus,
Dum laurum vita non porrexit.

ZAVISSÆ KVROZVANSCIO.
ODE XXX.

VT sæpe rectum sæcula Iudicem
Vouent & optant; sic iterum vident
Vel serò vel nunquam. ZAVISSA
Pro Lechico datus orbe legum
Custos, honestam quàm potuit sibi
Parare famam: mittere posteros

Insigne

Insigne quàm nomen per annos;
Sed populis totiès petita
Dum iura differt dicere, noscere
Causasq; quando negligit; inclyto
Secessit à Famæ theatro
Ad tacitas remouendus vmbras.
Sed heu! Quirites. Iustitiam & modo
In orbe quuquis quærit; inutili
Labore quærit: vniuerso
Pæne vale canit illa mundo:
Augusta magnis nuper honoribus
REGINA fulsit. dum similis Deæ
Vultuq; nobiliq; cultu
Mænalias etiam Dianas,
Et visa centum vincere Cyprides.
Vt gemma in auro non speciosiùs,
Læui vel inclusum per artem
Posset ebur radiare buxo:
Hæc & Mycenis, & Mareotidi
Regnauit olim: quò Æthiopum plagæ,
Quò diues Afer, vel Britannus,
Quò Garamas sua regna & Indus,
Pænusq; bellax promouet; vltima
Mundiq; tandem quò vehit orbita;
Ibi illa regnatrix potenti
Imperio tenuit tremendas
REGINA gentes Nec populum nisi,
Vel vile vulgus; sed medias quoq;
Ibat gubernatrix per aulas
Maxima Principibus Magistra.

At verò postquam se leuibus tulit
Respectus aliis; multa pecunia
Postquam sacris, aruue iysdem
Cæpta coli, quibus est & ampla
Astræa culta; hinc & facies prior
Mutata rerum, & Iustitiæ minor
Secutus est honos: vt illa
Tot populis dominata quondam,
Tot clara regnis pro solio & throno
Afflicta segnes incolat angulos,
Fractisq; sceptris fascibusq;
Nullam habeat miseranda pompam:
Et ille candor, qui roseo fuit
Mixtus pudori, præ memori nimis
Dolore pallet, mensq; tristis
Solicito prope languet ore.
Sed derelictæ si quis adhuc amor
Et cura restat Iustitiæ; precor
Per astra per cælos, salubrem
Vlteriùs temerare demum
Nolite Diuam. Vixit vt hactenus
Pudica Virgo; sic manet integra
Hucusq; Virgo. quod Ministri
Prostibulum faciant, eorum
Est error omnis. quod vacuus thronus,
Quod fracta laurus, sceptra quod exulent;
Quod lassa torpescat corona;
Culpa scelusq; penes Ministros.


VIRO VIRGINI

CHRISTI NVTRITIO
SANCTO JOSEPHO

Pro tertia Antiſtitum Cracouienſium decade
EVCHARISTICVM.

ERgo cum Virgo ſibi dedicatam
Obtinet chartam; ſequitur profunde
Et mea vt cultu veneretur ipſum
Penna IOSEPHVM.
Sponſus es magnæ ſinè labe Matris,
Sponſus es puræ ſinè nube Lunæ,
Virginis Sponſus, cui Sol coruſcos
Subÿcit ignes.
Tu Calaſantî ſoboli patronas
Porrigis dextras; etiam Parentis
Cum ſim ego tanti minimus, modeſtas
Defero grates.
Tertiæ quod iam decadis quietam
Anchoram fixi, mihi Tu benignus
Caſtor & Pollux, mihi tu ad beatum
Cynthia portum.
Viue, me magnæ quoties abinde
Virginis fiet meminiſſe, viuam
Et Tui ſemper memor, & Tuorum
Præco decorum.

IOAN-



STaturæ vitium erat non animi;
Quòd popularibus ſuis appellatus PARVVS.
Membris exiguus, geſtis ingens:
Et hoc erat Alexandros Magnos æmulari.
In modico corpore eam virtutem habuit,
Cui Gigantes etiam vel Briarei non ſufficerent.
Iuuenis miſſus in Galliam,
Vbi Achilles rediturus ſperabatur; rediJt Chiron.
Artis Medicæ peritus adeo,
Vt alterum diceres Æſculapium.
Ad preces dominantis Poloniæ & Hungariæ LVDOVICI
Quæſitus è Galliæ Archiatris perfectiſſimus in Poloniam;
Nullus Francico throno præ RADLICIO viſus,
Quem noſtrati ALEXANDRO mitteret PHILIPPVM

 Adiuuit is propriâ virtute coronati Capitis calculum,
Solicitus omninò, ne Regnantis iudicia falleret:
Et alium se ostenderet, quàm Majestatis esset suffragio.
Aliàs errant humana iudicia, dum iurant in aliena verba:
Nec quid dicatur, æstimant; sed à quo.
Vulgaris opinio sæpiùs à dominantium arbitrio pendet,
Quia subscribit, non censet: ducitur, non it.
Quia multis illi perfectissimi videntur,
Non quod optimi vel perfectissimi sint;
Sed quod encomiasten habeant Dominum.
Adeoque *paruum putatur*,
Quidquid commendatur non à Magno.
Commendantis fortunâ plerumq. commendati æstimatur dignitas.
Non caruerat RADLICIVS artis medicæ laureâ,
Sed LVDOVICVS ampliorem parans,
Post creditam corporis sui salutem & Regni legum custodiam,
Machaonem suum Cracouiensi redimiuit Mitrâ.
Quasi satis adhuc Magnus non fuisset,
Nisi in Pontificia Purpura.
Quanquam non supra RADLICIVM & hæc felicitas.
Æsculapium sic coluit, vt & Apollinem exprimeret.
Notum vel ideò Parentem habens,
Vbi Filio quoque ejus tam familiariter conuixisset.
Ejus doctrinæ Vir,
Ob quam Infula etiam non erubuit:
Pietatis tantæ;
Quanta in multis aliis rarum spectaculum.
Pontificiam Cathedram ingressus; medicina fuit;
Ejecit, quod nocuit.
Mederi non corpori tantùm, sed & Reipublicæ gnarus,
Ubique

Patriæ infirmitatem toties pellens non pharmaco, ſed conſilio.
Functo fatis LVDOVICO Polonia ægrotare cæperat.
Regum enim mortes, Regnorum ſunt morbi.
Deſtinabatur ſceptris SIGISMUNDUS cum MARIA Lvdovici Filia.
Sed vbi ad Polonorum vota nec in pedibus aures habuit,
Indignus Regno eſt viſus.
Vtcunq; Regnantium ſit ſupremum velle;
Nihil tamen Maieſtati adimitur,
Si ſubditorum votis ſe accommodent.
Peſſimè cum ſubditis agitur,
Si eorum deſideria Principes pro mancipiis habent.
Etiam Sol in alto; omnium tamen neceſſitatibus ſeruit.
Itum in ſuffragia pro ſecunda ſorore HEDVIGI:
Vt coronandæ huic Pulcheriæ ſuus quæreretur Honorius,
Et thalami & ſolij comes.
Perſonuit ſtatim Aula procis,
Vbi Regia Virgo pro dote numerauit Regna.
Et Vilhelmus quidem
Tum verbi paterni tum Virginalis affectûs ſecurus
Auſtriacus Turnus ſuam expectabat Lauiniam.
Sed non placuit Minoribus Polonis & RADLICIO affinitas ea,
Quæ niſi *vacuum ſine pondere nomen* ferret.
Vtcunq; cælos tangeret ſponſi nobilitas,
Et per faſces numeraret Auos;
Poloniam tamen ſoli tituli nihil iuviſſent.
Optima copula, quæ non manus tantùm, ſed & Prouincias ligat.
Ideo alienis à Vilhelmo Polonis
Pro Virgine certat Lithuanus Mars Vladislavs Iagelo.
Nec *Clypeo* tantùm is *melior*, ſed & ſtatim *donat Rhodopen*,

 Lituaniam ſuam Poloniæ Regno adiungens.
Deſpexit HEDVIGIS primò VLADISLAVM,
Barbarum coniugem refugiens,
At Goraij & Minorũ cum RADLICIO Polonorũ conſilijs obſecũdãs,
Amorem tandem ſuum amori Regni ſubiecit,
In thalamum conſentiens Iagelonis.
Digna encomio,
Quod priuatum deſiderium ſubmiſerit publico.
Aliàs *ſua cuiq; vtilitas peſſimum boni comunis venenum.*
Addita tamen VLADISLAO conditio,
Vt ſi Formoſam noſtram habere vellet,
Luſtralibus vndis priùs ſe ablueret.
Honoratus eo munere RADLICIVS,
Vt Iagelonem ſanctioribus thermis tingeret:
Et non tam Lernæis quàm ſalutaribus aquis ablutum,
Ab omni vulnere redderet ſecurum.
Verus omnino Medicus laborantem originalis noxæ morbo ſanauit.
Tincto Iagelone
Beneficum in Cathedram ſuam imbrem depluit RADLICIVS,
Coëmptis in Cracouienſis Eccleſiæ vſum villis.
Cantandis diuinis horis intentior
Vicariorum menſam auxit:
Quod noſſet Diuinam pſalmodiam eſſe Sponſæ conſolantis:
Et à triumphante procedere Eccleſia,
Quidquid in militantis fit ſolatium.
Aduerſùs IANVSSIVM Ratiborienſẽ Ducẽ bonorũ Eccleſiæ vaſtatorẽ
Fortis æmulus,
Non quieuit, donec in omnibus fieret ſibi ſatis.
Nouo miraculo
Contra tantum Gigantem, Paruum hunc aliquid potuiſſe.
Vir,


Vir, si staturam excipias, in omnibus magnus,
Proficuus omninò tùm Regno, tum hominibus Galenus,
Donec experiri voluit malitia humana,
An ex omni parte verus esset Medicus.
Diceres examinatoris partes accepisse inuidiam.
Certaturo enim quasi pro laurea RADLICIO
In mensa porrectum venenum.
Nempe in ipsis vitæ præsidijs, mortis insidiæ quæsitæ.
Ergo qui alijs medebatur, sibi quoque non defuit.
Vt quodlibet naturale conseruationem sui desiderans,
Pedibus sursum ligatus
Tam diu tenerioribus baccellis verberari voluit,
Donec omnes cibos euomeret.
Quos vbi euomuit, in triennium vitam protraxit.
Adeo vna est catena, quæ nos obligatos tenet, amor vitæ.
Mortalitatis deniq; debitum exsoluit anno Dni M.CCCXCII.

IOANNI RADLICIO.
ODE XXXI.

VTcunq; Paruum Te popularium
Appellet error, paruula nominet
Vtcunq; non magnum statura;
Fama tamen tetigit Gigantis
Et magna virtus Nomen, in exteris
Quæ visa Regnis elogium quoq;
Adepta Gallicæ Coronæ
Sarmaticos penetrauit ingens
Adusq; campos. Nil humilis nocet
Statura nostri corporis, intima

Si mens Mimam tantùm professa
Cum validis etiam Typhæis
Certare par est. Encelado licèt
Æqualis haud sis Cracouiensibus
Donate R A D L I C I *tiaris;*
Enceladum tamen haud es infra.
Ex erudito pectore profluam
Si ponderamus gloriam, & indole
Sequace Galeni; Mitrati
Vnde Tibi patuere fasces,
Et vnde Craci purpura Præsulem
Accepit vltrò, Sarmatici quidem
Regnantis à nutu, sed amplo
Et proprii merito laboris.
Quanquàm mederi quàm benè corpori;
Periclitanti, tàm benè Patriæ
Polone sciuisti Galene.
Dum solio Lechiæ vacante
Infirmus Orbis noster; ab Austriæ
Dum tàm VILHELMO, *quàm exitiabile*
Ferente vulnus SIGIMVNDO
Letiferæ miseranda pestis
Coorta tabes (nempè suos habent
Et Regna morbos, si Dominus thono
Vel dextra, quæ sceptrum gubernet,
Defuerit: cupidis vel audax
Intrare votis ambitio velit.)
Ægrè valenti Tu Patriæ salus,
Quando V L A D I S L A V S *Iagelo*
Sarmaticum retinere clauum
Rex iussus, & per Te genitalibus
Ablutus vndis, nobilioribus
Ingressus in Thronum Polonum
Auspiciis. Inimica nostros
Si quæ cicatrix presserat ordines,
Vulnusq; cessit: tum melior suis
Ingressi sanitas quadrigis
Solicitas recreauit Vrbes.

PETRVS



ACeruum vides;
Vacuus est frugum, non tamen meritorum.
Sanctior in illo Triptolemus PETRVS WYSZ.
Qui nihil sibi reseruauit,
Vt Ecclesiæ & Patriæ totum impenderet.
HEDVIGIS beneficio promotus ad Infulam,
Sanctæ quidem Fæminæ,
Sed quæ Cracouiensibus Canonicis offensa,
Quod ab ijs fuisset excepta non pro Regia dignitate.
Rata nullum Pontificali pedo dignum,
In cujus domo hospitalitas non daretur.
Amant & terrestria Numina hominum ciuilitatem;
Nec quidquam peregrinæ Latonæ acerbius, quàm popularium inhumanitas.
Rapam etiam è paupere manu non despicit Maiestas,
Quam sit hospitali affectu sibi porrigi.

 Non

Non diu tamen plasmatrice sua lætatus WYSZ,
Quam sanctè viuentem in sanctitate sua mors interturbauit.
Optimam Reginam, & quæ monstrauit luculenter,
Quantopere Diuinum amaret cultum,
Vltimis tabulis PETRI arbitrio commissis.
Accepit is gazas Reginales pro judicij natiui ductu dispēsandas,
Nec alium hæredem agnouit quàm Ecclesiam,
Et Academiam Cracouiensem.
Cogitatum CASIMIRO adhuc Magno tam pulchrũ facinus,
Vt cum Musis Scientias quoq; omnes in Polonia faceret municipes.
Quorsum enim, inquiebat ille,
Mars tantùm Polonis & Bellona domestici essent,
Et non itidem cum Apolline Minerua.
Eiusdem Parentis hæc proles, eiusdem Iouis soboles.
Si de bellis agitur;
Non arma tantùm sed & literæ trophæa erigunt.
Et Gradiuus vix aliquid subinde potest,
Nisi in consortium Pallas veniat.
Non excludunt se iisdem confinis Hæmus & Helicon.
Potest Mercurio paritèr sagum & toga tradi.
Iam in aliis Regnis Numina hæc coloniam fixêre,
Et ad Polonos non respiciant?
Bene; si Mars donat Rhodopen;
Sed itidem non male; si Phæbus largitur Amyclas
Et Delos Clariosq; lares.
Hæc mens olim CASIMIRO Magno:
Concepit tamen ille votum non litauit.
HEDVIGIS vltimæ voluntati, VLADISLAI postea munificentiæ
Et WYSZI curæ palmarium id relinquente Fortuna,
Vt Scholas haberent obæratas.
Euocati Pragâ Magistri.
WYSZ in præsentia omnium
Primam in Iure Canonico lectionem prælegit.

Stu-

Ad tam magnifica Cracouienſis Academiæ initia,
Vt Epiſcopos etiam haberet Profeſſores.
At magnarum rerum magna ſunt communiter principia.
Ingentibus exercitibus fortiſſimorum quorumuis velitatio præludit.
Ioue opus eſt;
Vt Mercurij poſtea naſcantur vel Apollines.
Formandis pumilionibus pigmæi ſufficiunt.
Viduus inde à mortua HEDVIGE VLADISLAVS
De Regno addubitare cæpit.
Sed fluctuantem non tulêre & WYSZ & Polonia.
Maneret penes conceſſam Imperii gloriam.
Si ambigeret de ſecuritate Regni functâ hærede,
Sciret ſe à Polonis electum, iisq́ liberis.
Non ita lubrica Sarmatarum Fides,
Vt meminiſſe nolint, cui ſceptra dederint.
Polonis quoq́ crebræ Principum mutationes non ſalutares.
Aſſuetis bono Principi populis ita corda alliciuntur,
Vt ſucceſſorem timeant, non cogitent.
Egregii Imperatores voto expeti debent;
Talem vbi Fortuna dederit, mille etiam portis detinendus.
Ita Iagelonico ſcirpo potiſſima tunc temporis ſtatio
WYSZI Aceruus.
Qui vt hîc in Principē gratus, ita alibi in Clerū & Religioſos munificus
Vota aliorum implere noluit,
Niſi ipſe à felicitate ſua pæne recederet.
Manipulares menſæ ſuæ decimas
Pſalteriſtarum Collegio & plurimis alibi Eccleſijs cedens
Non fruſtra vacuum manipulis circumtulit Aceruum:
Sibi inops, vt alijs eſſet diues.
In Senenſi & Piſano Concilijs honorem ita tuitus eſt,
Vt dignitas & virtus in eo contendiſſe viderentur,
Aliàs non erubeſcere in tanto Purpuratorum conſeſſu

E Piſano tamen Concilio redux Fortunam inuenit inimicam.
Nam quaſi mentis inops delatus à IASTRZEMBECCIO,
E Cracouienſi ad minorem Poſnaniæ demouetur Infulam.
Nimirùm *Sacramento obſtricta nemini felicitas.*
Malaciæ pericula miſcet, fauoribus odia.
Liberaliter ad Purpuram promouet,
Vt pro inconſtantia affectûs ſenſim vel citò deſerat.
Perfidiam amoris habet, vt pote in ſuo amore meretrix.
Erupit primò WYSZ in lachrymas ob tam inſolentem mutationem.
Verùm vbi ad ſe rediit
Firmato tandem ad omnia animo didicit
Pulchrius exemplo morum eminere quàm faſcibus.
Ingenti animo eſſe licet abſq; ingentibus faſtigiis.
Quandoquidem tenere excelſa & vecors poteſt;
Qui illa generosè contemnat, nonniſi magnæ indolis capax.
Oppoſuit ſe pro iniuria WYSZI Concilium Conſtantienſe,
Iniurium judicans
Tanti nominis Virum ambitioni alienæ victimam immolari:
Et reſtituiſſet priori loco iniuriatum Præſulem,
Niſi mors grauiùs inuidiſſet,
Poſnanienſem etiam eripiendo Infulam.
Veniã precatus ab infirmo adhuc VLADISLAVS, & quidẽ flexis genibus.
Nec enim tanta Regnantium ſerenitas,
Vt præfulgore maculas aduertere in ſe non poſſint.
Malè de ſummis apicibus creditur,
Quaſi infrà Maieſtatem habeant, ſubmitti.
Non vnum adhuc in his culminibus inuenias Theodoſium,
Qui ad Ambroſij pedes procidat.
Et ignouit facilè WYSZ,
Dignum ratus veniâ Principem, quòd fateretur delictum.
Ad innocentiam pæne rediiſſe, qui paratus eſſet expiare.
Cum IASTRZEMBECCIO tamen ad altius ſubſellium prouocauit
Anno Saluatoris noſtri M. CCCCXIV.
In Cracouienſi Sede exactis annis XX.

Nimi-

Nimirùm vbi iniuria dolorem solicitat,
Difficile est ingenitæ etiam bonitatis meminisse.
Suas semper cicatrices relinquunt vulnera,
Et moti per iniuriam illatam fluctus rarò aut nunquàm quiescunt.

PETRO WYSZ.

ODE XXXII.

Dí te scelestam, Dí male perfidam
Et fata duris aspera vindicent
Fortuna pœnis. Per theatra
Insolitos quid iniqua tantùm
Ordire ludos, & leuibus simul
Induta vafrum non benè Roscium
Incedis insolens cothurnis,
Dans vapidæ sua regna fraudi.
Acsi bis aut ter non satis arduam
Egisse sit scenam, ac iterum suum
Mutare cum scena furorem,
Nec dubiam retinere laruam.
Pudet! scelestæ tam facilis sumus
Quod meta Diuæ: vt cum velit, alite
Nos ducat in sublime passu,
Et medio statuat beatos
In Sole Ciues: cum velit, infimos
E Sole rursus trudat ad angulos,
Et de planetarum sedili
Ad Stygios trahat vsq; lucos.
Sic ille quondam, qui Siculæ priùs
Director oræ purpuram & aureum
Indutus ostrum, subditorum
Magnificâ comitante pompâ

Superbus

Superbus ibat; cûi popularium
Frequens vbiuis ordo clientium
Ad iussa promptus, & frequentes
Tàm populi famuli cateruæ,
Quàm seruientis millia militis
Ad verba proni: seu voluit trucem
Mouere bellorum procellam,
Seu gladijs inimica iussit
Sæuisq; quæri terga dolonibus:
Seu laureatis vecta curulibus
Trophæa mandauit, grauesq;
Diuitijs spolijsq; currus.
Mox insolenti cum placuit Deæ
Mouere risum; fit populi iocus,
E Rege paruulis magister:
Quiq; suam grauiore sceptro
Ornare dextram præteritis potens
Solebat horis; nunc ferulam manu
Prehensat infelix, leuiq;
Imperio pueros coercet
Post iura, leges post populis datas,
Et post fluentis syrmata purpuræ
Centone tectus: Regijsq;
Qui ante superbierat tributis;
Iam nunc Minerual postulat. Inquies
Sic Diua ludit: sic caput extulit
Sublimè qui cælo, liquatis
Deijcitur miserandus alis.
Nec vna tantùm Regna ita flebilem
Egere scenam; sæcula comico

Quàm

Quàm multa ſic iuêre ſaltu,
Ex quo patuli ſtetit iſta tantùm
Compago mundi: ludimur, & ſimul
Ignaua ſæclis fabula tradimur,
Plenumq; reddimus theatrum
Præcipitis ſtrepitu ruinæ.
Et innocentem ſors eadem premit
Infeſta WYSZVM, dum è Cathedra Craci
Audet reluctantem, ad minorem
Poſnaniæ remouere ſedem.
Dij Te ſceleſtam Dij malè perfidam
Fortuna perdant. Nil Patriæ iuuat
Aceruus impenſus, PETRIq;
Purpureo benè nota Piſis
Virtus, & ingens fama Senatui:
Nil cura iuncti ſanguinis, & ſibi
Mens ritè conſtans, fletibusq;
Se redimens lachrymiſq; candor.
Quòuſq; viuam, vindice fulmine
Tonabo Vates, & meretricium
Damnabo probris ſempiternis
Ingenium, nurus impudenti
Poſtquam ore tantùm perfidiam refers,
Amare Te fingens nec amans: palam
Teſtabor hoc nefas iniquum,
Quod Veneris ſimilis nefandæ
Fortuna dextram porrigis, & ſtatim
Inceſta eandem ſubtrahis, immemor
Candoris & pacti da umq;
Nata ſtatim temerare verbum.

ALBER-



PArentis vaticinio Pontifex.
Septennis adhuc puer
Simul ſcholaſticæ ferulæ, ſimul Pontificali pedo porrexit manũ.
Cum lacte Inſulæ candidatus,
Etſi necdum creuit, jam eminuit.
In tenera adhuc radice Mercurius,
Ab ipſis ſtatim cunis notus, quod ad faſtigia natus.
Cæpit, vbi finis erat:
Et ea puer egit, *quæ pauci meruêre ſenes.*
A pio genitore datus ad Beſſouienſem ſcholam,
Non ignorante pietatem Chriſtianam
Haud poſſe meliùs inſtillari, quàm cum Muſarum lacte.
Ita virtuti & Palladi complacuit,
Vt clientem ſuum vbique ſequerentur.

Inſinu-

Insinuauit se in Honoris amicitiam,
Cujus fauore Posnaniensibus aris datus Antistes,
Paternæ obligationi fecit satis.
Bessouiæ ligneam Ecclesiam demolitus, exstruxit lateritiam.
Varsauiæ Canonicorum Collegium instituit.
Finiebatque pæne tertium lustrum in Posnaniensi Cathedra,
Cum tandem animum illius pertentare cæpit ambitio,
Adeò *errant*
Qui inter magnas virtutes vitiis negant locum.
Adhuc nemo exstitit,
Cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.
Affinitas quædam inter duo hæc intercedit,
Et mala bonis communiter agnascuntur.
Nullum omnino sinè defectibus sæculum,
Ac nec illud, quod appellabatur aureum.
Larga horum vbiq; & obuia seges.
Non expectans PETRI WYSZ funus,
Per violentam amotionem Cracouiense soliũ ingredi voluit.
Per plana an per obliqua ascenderet, perindę habens.
Nempe *calcaribus vrgeri non postulat ambitio,*
Sponte suâ in cursus soluitur.
Theopompum agit non Ephorum, vbi decurrendum ad culmina.
Perorabat WYSZ pro se lachrymis,
Sed infelix pro domo sua Cicero orationis finẽ non consecutus.
IASTRZEMBECCIO,
E Regali Iagelonis sceptro, tanquam è venatoria pertica prouolante,
Vt amplioris fortunæ prædam adunco vngue raperet.
Nec mirum; IASTRZEMBECCIVS erat.
Quia tamen *accipitri panis solet esse venenum*;
Ideo & IASTRZEMBECCIO Christi panis.

WYSZI vicinorum odijs mactatus reiciuit tandem,
Quòd *magna est honoris & inuidiæ cognatio.*
Monstrosa omnis dignitas;
Illa tamen, quàm ambitio peperit, monstrosissima.
Rarò vernaculis inimicitiis caruit fastigium,
Quodcunq; per alterius iniuriam ascenditur.
Vicunq; vbiuis comes sit inuidia;
Ad raptam tamen indebitè purpuram maximè se insinuat.
Cæterum Vir magnus,
Et qui cum Cracouiensi pedo simul Regni Aquilas gessit.
VLADISLAO Iageloni intimus vbiuis consiliorum arbiter:
Nisi quod semel suo se non probauerit oraculo.
Malè à Christi cruce dicti Crucigeri
Post depressas in Gruneualdensi prælio vires
Dum aperto Marte non possunt,
Profanam auri cupidinem iniurijs promouent.
Quibus ferro componendis
Polona fortitudo statim conflictui canere voluit.
Sed credulus nimiùm VLADISLAVS,
Dum SIGISMUNDUM Cæsarem iniuriarũ arbitrum eligit & exspectat,
Inanibus tantùm promissis lactatus discere potuit
Paucis valde à se spatijs abesse nimiùm credere & falli:
Aliquando satiùs hostem pati, quàm amico improbo vti.
Cui deest inimicus, per amicos opprimitur.
Malè habitum à Polonis
VLADISLAVM, & cum VLADISLAO ludificari Poloniam,
Ac per tam facilem fidem aditum dari alienæ perfidiæ.
Sed deuoluta à VLADISLAO culpa in IASTRZEMBECCIVM,
Quasi in illius authorem compromissi.

Nimirùm

Prosþera sibi Regnantes vendicant, aduersa Ministris imputatur.
Et tamen consulere Ministri est, penes Principem arbitrium.
Instrumentalis causa fuit IASTRZEMBECCIVS,
Nihil agere potuit nisi vi causæ principalis,
Quæ non alia, quàm VLADISLAVS.
Aliud erat,
Quod immeritum Pontificem Ciuium odijs exponebat,
Imo & coegit ad deponendas Regni Aquilas:
Elisabeth nempe, tertia jam VLADISLAI Coniunx.
Opponebat se matrimonio huic IASTRZEMBECCIVS,
Incongruum existimans, vt capularis VLADISLAVS
Cum capulari itidem fæmina copulam cogitaret.
Turpe nimirùm *senilis amor:*
Post duarum Iunonum thalamum malè illius ambiretur thorus,
Quæ quod à duobus iam Morauis Paridibus capta,
HÆLENA magis esse cæpit.
Facilius Medea erit, quàm cæcè nimis crederet Hippolytam.
Surdus ad hæc Vladislavs, postquam vxori aures dedit.
Noua interim Eudoxia suum Arcadiū in Iastrzembeccivm concitauit.
Omnis ira mala est, pessima tamen fæminæ.
Vbi semel furori calcaria addidit, de freno non cogitat.
E mitigatis leonibus citiùs retuleris palmam,
Quàm de offensa muliere.
Harpyam inuenies, vbi speraueras columbam.
Cum irata Iunone Acheronta mouere mauult,
Quàm ad preces descendere.
Et cessit Iastrzembeccivs sigillaribus ceris Elisabethæ odio,
Sed breuì illâ extinctâ Archiepiscopatu Gnesnensi ornatur,
Inuitus omnino & renitens,

 Tum

Tum quòd ob priorem ambitum odiorum ſatur:
Tum quòd faſtidiret ditiorem Fortunam,
Quam tantoperè olim appetierat.
Vt diſcerent alij,
Nihil in mortalium rebus ad ſuam pulchritudinem ſic exactum,
Quod tandem non fatiget contemplantem.
Non carent faſtidijs ſuis faſtigia:
Cum appetitu capiuntur, ſed capta & poſſeſſa nauſeam creant.
A principio ſapida videntur bellaria;
Vbi tantiſper deguſtaueris, crudum bolum ſenties.
Vectus tamen per tot honores & odia IASTRZEMBECCIUS,
In Aquilarum demum Gneſnenſium nido conſedit
Aquilarum & ipſe genus.
Volatui tandem finem impoſuit Anno Dñi. M. CCCC. XXXVI,
Annis XI. Cracouiæ exactis, XIV. Gneſnæ.

ALBERTO IASTRZEMBECCIO.
ODE XXXIII.

AVdite, dicam: non adeò manet
Secura virtus, in medio ſedens
Regina terrarum theatro,
Vt vitijs ſua ſceptra non ſint
Conceſſa. Stricto fædere geſtiunt
Tam praua iungi quàm bona: *nec ſcelus*
Iam prorſus exulat nefandum,
Dum probitas retinet decoros
Formoſa faſces. Eſt ſua floribus
Vt ſpina rubus; eſt vt inutilis
Vrtica ponè herbas, lupiq;
Vel ſteriles teneris adhærent


Statim

Statim stolones stirpibus; ingerunt
Sic se modesto noxia pectori
Peccata, virtutisq; passum
Assiduus comitatur error.
Tam Patre Præsul Vate, quàm Episcop
Auctore seipso regna dum in intimis
Concedit ALBERTVS medullis
Egregijs satis ampla factis,
Famaq; plenus nil per inanium
Gradus honorum cursitat, ambitum
Admisit in pectus, tumorisq;
Egregius moderator olim,
Satisq; Posnæ Præsuleis diu
Contentus aris; lora dat inuidæ
Tandem cupidini regenda,
Immeritum statione Craci
Mitrâq; PETRVM quatenus impio
Deturbet ausu, & protinus vltimas
Pudore damnato sub Alpes
Det cupidus sua vela votis.
Immane quantùm dedecus & nefas.
Humana quod mens sæpiùs in suis
Alternat actis, & vicissim
Improbitas modò regnat atrox
Nunc pulchra virtus: ac homo nesciat
Vitæ tenorem rebus in omnibus
Seruare, constantemq; morum
Nobilium retinere cursum.

Pudor! decoram non ſemel indolem,
Si quando pulchri nominis integro
Amore fulſit, & deinde
Degeneri temerata fumo
Et nomen & famam ſepelit ſuam.
Non blandiantur primæ homini faces
Virtutis vnquam, ſub coruſcam
Non veniant quoad vſq; lucem
Plenæ diei, vitæ & ad vltimum
Ducantur occaſum. *Emicat Heſperus*
Subinde morum, mox opacam
Facta hominis ſubiêre noctem.
Vt ignis aurum, Lydius aut lapis;
Seuera noſtros tempora ſic probant
Moreſq; naturæq; ductus.
Magna licèt, diuturna non eſt,
Quæ vera virtus non fuit: *exuit*
Tàm prona laruam, quàm facilè induit:
Et pulchra quæ primò virago,
Turpe breuì tragicumq; monſtrũ eſt.

SBI-

ZBIGNEVS OLESNICKI CARDINALIS.



HActenus vnicam veneratus es INFVLAM

Nunc & MITRAM Ducalem.

Pontificium nisi hucusque Scipionem,

Modò jam & Principis GLADIVM.

Non parcus scilicet in titulis Honor, vbi digna deprehendit nomina:

Æstimare nouit, qui à se magni sunt.

Fortunam statim conciliat, dum egregios videt.

At tantæ felicitatis author, OLESNICIVS est.

Qui à Thessinensi Duce VENCESLAO, empto Seueriensi Ducatu;

Hanc successoribus fecit gratiam,

Vt quotquot Cracouiensi Infulæ submittunt caput,

Simul & Ducali MITRÆ.

Raro felicitatis argumento

Nec dedecuit tanta nominum auges OLESNICIVM,
Postquam dignus erat:
Piaculumq; dici potuerat, spernere fasces, quos meruit.
Vitam ejus si inspexeris,
Alterum à primo illo Fulgentium dicere possis.
Nescias tamen, an ex fulgure an ex fulgore Fulgentium.
Fulgere cum nunquam desierit, sæpe non desijt fulgurare.
Ea tempora nactus, quæ tonante nisi Pericle indigerent.
Ex illustri OLESNICIORVM Familia prodiens,
Martem primò secutus,
Ad Gruneualdensem Ticinum Serenissimo Scipioni suo
Minor & ipse Scipio
Obiectu proprij corporis tutatus Iagelonem.
Mansit in grato Principe obsequij recordatio,
Quam vt beneficijs alijs, ita Episcopatu Cracouiensi exsoluit.
Alias
Offensæ memoria longè altiùs manet in læsis Regibus,
Quàm gratiæ in adiutus.
Multi illorum,
Commune nihil debentium argumentum habent, odium.
OLESNICIVS verò ad Pontificiam euectus Cathedram
Generositatem animi ostendit sub Infula,
Qualem sub galea olim habere potuit.
Fatalis turbidis Principum consilijs,
Et cujus toga plus gessit, quàm aliorum sagum.
Vbi raro consulentium exemplo
Majestates etiam adoriri ausus,
Quas adorare securius existimat in obsequium seruile submissa fides.
Cum suspensa alij, & quò ducerentur, incl.natura dicerent;
Is

Is veri copiam fecit.
Inutile ratus,
Cum fortuna Principis potiùs loqui, quàm cum Principe.
Pugnauit patritius Gigas in Sarmaticos Ioues,
Si quando malè sui cæli desertores
Inter Sidonias iuuencas mugirent.
Nec grandibus armis agendum fuerat;
Vnico verbo detonuit, & jam pæana cecinit Polona necessitas.
Trium Poloniæ Regum censor, dubium reliquit,
Majorne Majestatum laus sub quibus liberum id fuit?
An OLESNICII; qui libertate hâc ausus vti?
Aliàs *suadere Principi, quod oporteat; multi laboris;*
Assentatio facillimè peragitur.
In Regnantium mores vitamq; ius sumere;
Non cuiusuis ingenij est virtus.
Quibus præscribere quales esse debeant,
Pulchrum quidem, sed periculosum.
Ita excurrerent aliquando affectus Regij extra moderationis metas;
OLESNICIVS CRVCEM, in Gaditanum obicem posuit.
Vbiq; lynx, vt notaret; vbiq; Aquila, vt tonaret.
Ostendit etiam suo æuo veritatem dici potuisse,
A qua nemo magis, quàm humana sæcula refugiunt.
Nullus tamen in illum potentiùs impegit quàm Vitoudus.
Qui nullam magnitudinem ratus, si cupiditatibus suis esset minor,
Vsurpare voluit Regium nomen.
Acsi indignus sibi videretur Lituano Bucephalo,
Si non coronatus illum insideret ALEXANDER.
Addidit animum ad tantas spes præmissa purpuræ lorica,
Quæ ipsum ab hostium casu in solij erigebat præsagium.
Vnde vel per fraterna odia in trabeas eniti voluit.

Strictiſſima etiã ſanguinis vincula disrũpit imperãdi cupiditas;
Et vbi regnandi libido animum ſemel inuaſit,
Nihil medium habet inter ſumma ac præcipitia.
Quærebantur Senatorum vota;
Sed metu offendendi Principis ne Accipiter quidem IASTRZEMBECCIVS
Gneſnenſibus conuiuens Aquilis
Sereniſſimo ſoli commiſit palpebram.
Primus OLESNICIVS in Maieſtatem contorſit oculos.
Ergo, inquit, *Ducalem alias Equum regere non potes,*
Niſi Regni teneas habenas?
VLADISLAO Fratri ſolidiùs conſtringi non licet,
Niſi per ſimiles trabeas.
Plùs apud Te dominandi cupiditas poteſt, quàm ius ſanguinis?
Coniunctos paribus ſuffragiis populos diuellis,
Cum tamen conſortes non ſuſtinet imperium,
Nec ſecura, quæ diuiſa Maieſtas.
Sui Mariti ſponſa aduenam procum neſcit.
Putas non monſtrum eſſe ſub gemino capite vnum corpus?
Pigetq; adeo Polonæ Aquilæ,
Per quam in tam ſublime gloriæ euolaſti?
Quaſi ſolium non ſit, niſi ſolus imperes.
Tuis viribus tantam ſuſtineri molem exiſtimas?
Qui Aquila es per noſtras pennas.
Capularis ſenex ſenium in purpuram inuehis,
Vt Maieſtatis honor te citiùs opprimat, quàm efferat.
Malè à Regis titulo inclareſcere deſideras,
Vbi imminens vitæ veſpera vmbrarum viciniam non effugit.
Horret ſenium Purpura,
Non amatura in te, quod in Galba quondam odit.

His

His & pluribus aliis in OLESNICII CRUCEM acta ambitio.
At mores alterius nemo reprehendit, quem hostem statim non sentiat.
Iratus OLESNICIO Vitoudus minas addidit.
Nihil tamen furor potuit aduersùs animi magnitudinem.
Perstrinxisset oculos Vitoudianæ Majestatis fulgor,
Nisi incidisset in Aquilam.
OLESNICIVS aduersùs Vitoudum animosior, ostendit;
Bonum Patriæ Ciuem etiam esse supra Principem.
Non plebeio tantùm susurro, sed & Magnorum turbinibus non flecti,
Hoc verè Pontificis existimans.
Profecturus postea ad Concilium Constantiense
VLADISLAVM Iagelonem seriò officij sui & vitæ monuit.
Nempe
Nemo prudens sibi persuadet
Vnâ aut alterâ admonitione vitia radicitus exstirpari.
Profundiùs his radices actæ;
Et luxuriosiùs toties pullulant,
Quoties animaduersionis non adhibetur scalpellum.
Suscepit monitorium ictum VLADISLAVS,
Quòd sciret sanare non lædere volentis manu
Incisam sibi ab OLESNICIO venam.
Qui fatis postea approximaturus,
Bonum Pontificem sponsalitio HEDVIGIS ornauit annulò.
Nō quod Iagelonicus ALEXANDER Ephestioni suo os obsignaret,
Sed vt probaret Regalis beneuolentiæ argumenta;
Et redderet gratias beneficis monitis,
Quorum maximè inopiâ laborant suprema fastigia.
Et *cum omnia possideant*;
Illo tamen carent, qui verum dicat.
Stupuit se Polonia in tanto Præsule;

Nominis verò fama eousq; in Orbem excurrit,
Vt Vaticani etiam faſtigij referret encomium.
A MARTINO V. honorificentiſſimis conuentus literis,
Ab EVGENIO IV, à FELICE itidem V Cardinalitio tractatus murice,
Dum à neutro Purpuram accipit,
A NICOLAO V ambobus his ſuccedente deſignatus Cardinalis,
Ad Purpuram non expalluit.
Dignus illâ vbiq; indui, cum Virum nullibi exueret.
Oſtenditque ſtatim, quàm ſciret honore ſuo vti,
Cum VINCENTIO COTO, & OPOROVIO Primatibus Regni
Motâ de loco quæſtione.
Perorabant pro his Gneſnenſes Aquilæ,
Quòd in Polonia illis tantùm ſupra cæteros euolare
Regni ſtatuta conceſſerint.
Pro OLESNICIO Cardinalitius murex,
Quòd Romanam in ſe referret Majeſtatem.
Neutri Patronus è Proceribus defuit;
Donec ad nuptialem CASIMIRI cum ELISABETHA Auſtriaca pompam,
Qui cerimoniæ adminiſter eſſet, iterum controuerſia orta.
Sed à Neoſponſis Majeſtatibus IOANNI CAPISTRANO decernitur.
Adhuc nempe ea in Aulis felicitas fuerat,
Vt Religioſam vitam profeſſis ſuam redderent reuerentiam.
Aliàs deſtructo ſæculo nihil iucundiùs modernis politicis,
Quàm facetijs laceſſere Monaſticam patientiam.
Excuſauit munus Capiſtranus ob linguæ imperitiam,
OLESNICIOq; ceſſit, Cardinalitiam in eo reueritus Purpuram.
Ita auguſtum par copulauit ZBIGNEVS,
OPOROVIVS ſacris operatus nouam Nuptam diademate cinxit.
Partientibus Fatis,
Vt Cæſarum ſanguis ELISABETHA,

Oporo-

Oporovio Coronam, Olesnicio deberet Virum.
Regnantis Casimiri denuo serius monitor Olesnicivs,
Quòd Vladislavm & Boleslavm Masouiæ Duces duriùs tractâsset.
Scire nimirum jussit,
Quàm malus Imperantium Orator, Furor.
Cum Poloniæ Regum sanguine meliùs beneuolentiâ peragitur.
Hoc thronis magnificum & ingens,
Prodesse miseris, protegere supplices.
Dominantium nomen tenentibus vtilis clementiæ fama:
Si negligunt illam laudem;
Nouerint afflictorum calamitatem esse vocalem.
Vbi propitios non inuenerit Principes,
DEVM ipsum iniuriæ vindicem appellat.
Maior Maiestas Numinis, quàm terræ Regum:
Si illi, cur & non his vsurpetur mansuetudinis gloria.
Et humaniùs statim cum supplicibus Casimirvs.
OLESNICIVS verò,
Vt huic, ita alijs Principibus dati moniti laude inclytus,
Meritorumq; in Ecclesiam & Patriam plenus,
Peracto Koniecpolii Cancellarij Regni funere
Anno Dni. M. CCCCLV.
Postridie post Dominicam Palmarum palmarem efflans animam
Fulgurare non fulgere desijt.
Vir Ambrosii æmulus, vbi incidisset in Theodosios.

ZBIGNEO OLESNICIO.
ODE XXXIV.

ÆTerna tanto carmina Nomini,
Æterna magno cantica Præsuli,
Æterna ZBIGNEO trophæa
Non ego solus, at & Polonus


 Instauret

Instauret Orbis. Quid? mihi cantica
Indico tantum? per Lechicos nisi
Ponenda quid campos trophæa?
Non ego, non Lechus, vniuersus
Sed ponat Orbis. Sat modicus nimis
Ad tanta limes facta, Poloniæ
Tellus; in immensum referri
Oceanum decet, aut remotas
Adusq; Gades. Aut vbi fertili
Superba Nilo per variabiles
Prospectat Ægyptus meatus,
Indiacus fluitatq; fuluo
Ganges in auro: fama volucribus
Se monstret illuc aduena curribus,
Dicatq; ZBIGNEVS quæ honesti &
Quanta dedit documenta Ciuis.
Pridem coronæ, sceptra ita fortibus
Pridem laborant Regia ciuibus,
Qui vera dicant; deuiantes
Vt quoties videant Monarchas
Monere nôrint, nec timeant heros
Notare fasces, purpura Principum
Si quando contraxit nociuos,
Vel dominum diadema, næuos;
Et praua Regum deuiat interim
Natura, & ingens corripit interim
Caligo Regnantes; superbi
Vt propriæ immemores Coronæ
Non quod licet, sed quod lubet, omnibus
Sequantur annis, & populus mala

Exempla

Exempla praescribant, & ipsis,
Et famulis nocitura Regnis.
Scelus nefandum! si solia & throni
Impune peccent, si quibus imperi
Fortuna concessit decorem,
His rigido liceat carere
Censore semper. Libera Patrij
Quò vox Senatûs? & decus Infulae,
Togaeq; sanctioris illa
Quò grauitas, cui se corusci
Non erubescant subdere murices,
Si quando facti criminis, improbae
Monentur aut noxae, obsequentem
Aut maculae inficientis orbem.
Aeternet ingens nominis omnibus
ZBIGNEVS aeuis, quòd tumidos nihil
Respexit ad Regum furores,
Sed monuit, quoties herile
Peccauit ostrum: quòd dominantium
Si quae notauit crimina fascium,
Nunquam pepercit, sed Paternam
Eximius monitor medelam
Submisit vltrò. Si diademata
Censore tali, si Patre gaudeant
Summae Potestates monente,
O! quae alijs etiam futura
Fortuna Regnis; sed quia viuimus
Seruile vulgus, nec Dominos suae
Audemus admonere culpae,
Et Domini mala quaeq; tentant.

THOMAS STREMPINSKI.



JLlustrior STREMPINII electio haberi non potuit,
Quàm dum æstuantibus flammis coruscaret.
Triumphales ignes diceres,
Nisi tam Canonicorũ, quàm aliorũ numerosæ domus absũptæ
Loquerentur incendiarios.
Accendentibus tempestiuè facem Fatis, vt pateret STREMPINIO,
Quàm graui oneri, dum Episcopatui humeros subiecit.
Caligat plerumq; ad eiusmodi splendores ambitio humana,
Et fastigiari se putat, cum postea fatigari sub mole sequenti discit.
Vnde ex flãmis præsagis quod cognoscere potuit, ex onere postea sẽsit,
Quòd *timoribus stipantur Pontificum solia :*
Quòd *Infula eadem torquet, quæ cingit caput.*
Binis cornibus eminet, vt acriùs pungat.
Pontificia Purpura, nobilis quædam est seruitus :
Pedum, vectigale magnis incommodis :
Et molestiæ, stipendia sunt huius potestatis.

Adeo,

Tollat te, qui non nouit.

Æquè in Cathedra ac in throno eminere difficile,
Ac in alto pauci, qui non in motu:
Vt & cælum voluitur, dum voluit.

Hinc æterna pænitentia STREMPINII,
Fatentis se nihil stultius totâ vitâ egisse,
Quàm dum Episcopatum suscepit.
Vt cum illo scirent omnes Pontifices
Infulam non tam ornamentum esse capitis, quàm onus.
Sed onus hoc pares lacertos in STREMPINIO inuenit,
Et contra Regem etiam fortes.
Excitandis enim bellatorum aliquando animis,
Parandæ pecuniæ ratione iniit CASIMIRVS, sed Polonis tunc infamē.
Nam sacra Ecclesiarum vasa ac donaria conflari iussa:
Quasi tam inops tunc temporis Polonia,
Vt nisi de manubijs Sanctorũ ditesceret, bellare non potuisset.
Et debiles adeo ictero fuissent Lechicæ vires,
Vt sanari nequirent, nisi aureis calicibus.
Non piget tributa pendere,
Vbi illa non ex auaræ mentis imperio,
Sed efflagitantibus Patriæ rebus exposcuntur.
Verùm cupiditatis tunc comitium erat, & auaritiæ febris,
Quæ argenteo nisi phlebotomo sibi mederi vellet.
Permiserunt aliqui Ecclesias in stipendia, non item STREMPINIVS
Hostem spoliandum innuens *non Sanctorum imagines.*
Timendumq; , ne vltricia sequerentur Templa,
Et victis in acie Prussis domi Diuos haberent aduersos.
Male aureâ Ecclesiæ supellectile classica dantur,
Ad quæ vindicta potiùs diuina, quàm militaris fortitudo animos sumeret.
Supplicibus tantùm beneficæ aræ non raptoribus.

Sic restituit totum STREMPINII toga,

Quod militari destinabatur sago.
Ampliùsq; Pontificis zelus potuit, quàm Regia cupiditas,
Non auso sacra vasa tangere CASIMIRO,
Postquam ab Episcopo non obtinuit licentiam.
Porrexit oleam hostis Regali dexteræ,
Vbi Ecclesiæ thesauro contaminatam non vidit.
STREMPINIVS verò hîc & alibi Zelatoris pro Ecclesia adeptus nomẽ,
Ac Cathedræ in omnibus proficuus magno eiusdem dolore moritur
Anno Dñi. M. CCCCLX. postquam præsedisset annis V.


THOMÆ STREMPINIO.
ODE XXXV.

QVisquis Tiaram nescit, & Infulam
Episcopalem; STREMPINIVM vide;
Et disce quàm grandis laborum
Materies & onus, mitratos
Gestare fasces. Fabula Sisyphum
E celsiorum culmine montium
Nunc ferre nunc referre saxum;
Præcipiti vel in orbe mæstum
Semper rotari Ixiona: Titius
Vel quod voracem sustinet alitem,
Vel quod reluctantem tenaces
Pirithoum cohibent catenæ.
Immanè quantùm scipio pondere
Est major omni Præsuleus, tegit
Et sacra quæ caput, Tiara
Præ valido grauidat molari.

Vt

Vt iam nec altus Pelion, arduus
Nec Ossa tantis emineat iugis,
Quantis tiaratum cacumen
Penè premit medias adusq;
Subinde terras. Congere saxeos
Quos Maurus Atlas sustinet Abylas,
Hispana vel quos terra Calpes:
Aut madido toties sacratos
Baccho Falernos; congere quos habent
Campana montes regna, vel Arcadum,
Collesq; Apenninos, & Agas
Armeniæ populis superbos.
Iam quanta possunt pondera colligant
Montes citati; prægrauat Infula,
Pedumq;, quod manu tenetur
Pontificis, reliquiq; fasces.
Scit Adrianus, quas subijt miser
In Vaticana sede molestias:
Scit Noster & THOMAS, suumq;
Deflet & arguit EMINERE.
Fortuna sola hæc Præsulis; in sua
Quod sede primi mancipij instar est:
Sortemq; quòd velat molestam
Nobilibus titulis: & interim
Ingens lacertis sarcina baiulos
Fatigat armos, vt miserè gemant,
Seuera quos tantùm infulatis
Fata premi voluere vittis.

 IACO-



Debebatur ob virtutem SIENIENSCIO triumphus,
Interim minas & carcerem retulit.
A summo Pontifice datus Cracouiæ Episcopus,
Inuenit, quod etiã è Pij secundi calculo haberet non secundũ.
Quando destinatas Vaticano suffragio Infulas
Sarmatica Regia negauit:
Hoc ipso moram faciens, quòd Romam viderit instantem.
Securissima erat honoris via, eiusdem cõtẽptio:
Verùm naturâ comparante,
Vt optimi imò & pessimi quiq; mortalium suprema cupiãt,
Certatum est acribus vtrinq; studijs:
Pro SIENIENSCIO Roma, pro GRVSCINIO CASIMIRVS.
Nihil CASIMIRO aduersùs SIENIENSCIVM,
Nisi quòd graue purpuræ suæ existimauit
Absq; plasmatione sua in Senatu aliquam creaturam pati.

Acsi

Acsi frustra regalem haberet aquilam,
Sub cujus alarum vmbram Polona non confugeret necessitas:
Et inane nomen majestatis ferret,
Si non per illam dispensarentur gratiæ.
Accessit GRVSCINIj ambitus,
Qui Regij fauoris securus cupiditati fræna laxauit,
Per summam etiam SIENIENSCII iniuriã, Cathedrã inuadere gestiẽs.
Continere se nescit ambitio,
Vbi spes fuerit aliquid adipiscendi.
Nullibi feruentiora adhibet studia, quàm in honoris stadio.
Fas & nefas miscet,
Nec gradi se securè existimat, nisi per calcatum æmulum.
Cùm tot SIENIENSCIO aduersarentur,
Fauit SIENIENSCIO, qui tunc Orthodoxo orbi præfuit,
ÆNEAS SYLVIVS
Troianum diceres,
Qui ex ardente Regij furoris Ilio suum educere vellet Ascaniũ.
Is quanti SIENIENSCIVM fecit, vel hinc collige,
Quod eũ triũ Regnorũ dispẽdio non ex æquo æstimari cẽsuerit.
Sed nihil apud CASIMIRVM & tanta potestas.
Non libenter sensum suum submittunt, imperare alijs assueti:
Facere prout libuerit, hoc verè Regnantium putant.
Coacta ad aliud, quam velit, voluntas, minuit imperij felicitatẽ.
Ergo arroganti inuidiæ cedere coactus IACOBVS,
Abiuit iratus honori tanquam infami, quia frustra quæsito.
Honor enim licet per virtutem quæritur,
Per infamiam quæritur, si quæritur nec accidit
Honoratior tamen hoc ipso, quia sic inhonoratus.
Nam gloriæ subinde auctuarium est honorum sterilitas.
Palmarioq; proximum,

Digni-

Plerũq; per inuidiam negata dignitas, famam intendit;
Nec gloriosior vllus, quàm qui contempsit & se & gloriam.
A Polonia tamen extorris,
Benigniorem exterũ Tiberim nactus, quàm domesticũ Vistulã.
Cum Craci Vauel excluderet, ingressus Vaticanum.
Sanctior Prometheus majorem charitatis flammam habuit
Ab extraneo Sole, quàm à natiuo.
Ibi Tiburtinæ arci præfectus
Exuere jam poterat affectum Patriæ,
Postquam apud ignotos Fortunam nactus magis propitiam:
Nisi quòd redire tandem visa in gratiam & domestica felicitas,
Vbi PAVLI II. mandato Vladislauiensi Ecclesiæ præponitur.
Excusauit omnino Cathedram SIENIENSCIVS.
Quòd idem se expertum senserit cum honore, quod cum Sole.
Vt in Solem difficulter iterum erigit oculos,
Quisquis à luce illius recedens tenebris circumfunditur:
Ita & illustrissimum Infulæ jubar
Vbi semel contemplantem perstrinxit,
Non statim in iteratum sui aspectum allicit.
Suscepit tamen impositos fasces Vaticano adactus imperio,
Nec posuit ampliùs obicem CASIMIRVS,
Vtpote SIENIENSCIO jam addictior.
Sic *Gliscens posteritate odium tempore tandem consenescit.*
Nemo eatenus virtutem amare cæpit, quin desinat;
Nemo desijt, quin desijsse pæniteat.
Suum iter virtus ad felicitatẽ habet, sed per molestiarũ semitas:
Vbi ardua & impedita decurrerit; inuenit planam viam.
At non semper æqualiter propitia Fortuna
Nunc odit, nunc iterum non solùm amat sed & deperit.

SIE-

SIENIENSCIO cum Cracouienſem antea negauerit,
Poſtea Primatialem etiam purpuram obtulit;
Pro minori grandius culmen,
Pro Vladislauienſibus aris Gneſnenſes Aquilas;
Filio nempe tonitrui miniſtras fulminum alites.
Adeò nôrint omnes,
Quòd ſpretus in tempore honor, interdum cumulatior redit.
Recolligit ſe frequentiùs,
Et amplioribus trabeis ornat, qui minores negauerat.
Deſcendiſſe ſemel de inferiori culmine,
Non ſemper ad infima lapſûs eſt argumentum;
Aliquando ad altiora aſcenſûs occaſio:
Amat certamen Fortuna,
Acriùs confligit priùs, vt citiùs redeat ad fædera.
Imo *ventum imitatur ſubinde,*
Quò magis detinetur ac clauditur, eò vehementiùs poſtea erũpit.


IACOBO SIENIENSCIO.
ODE XXXVI.

E*T tu SIENIENSCI pro Cathedra Cracì*
Quantos labores ſumpſeris, optimè
Seri recordamur nepotes,
Vlteriorq; loquetur orbis.
Sic turbulentus ſemper Honor fugit
Omnem quietem, nec niſi iurgijs
Turbiſq; gaudet ſempiternis,
Pacificis inimicus horis.
Sic bella ſemper promouet, & nouos
Ciet tumultus: ſic niſi claſſicis

For.

Fortuna ditior paratur,
Per medias columenq; strages.
Delicta nam quot? quot scelera integrum
Pressere mundum? dum furialibus
Hinc inde certatum cateruis,
Dum tonuit miseranda multo
Procella Martis turbine, patrijs
Vt quisq; rarum sedibus hospitem
Haberet, artifex honoram
Ipse sibi positurus arcem.
Quod crimen, aut quod, per reliquas, nefas
Non iuit oras? immoderabili
Cupido regnandi furore
Dum rabidas recoquebat iras.
Tendens Parentis Tullia flebiles
Calcare vultus, & gelidum truces
Mouere per corpus quadrigas
Indomito malè-sana fastu.
Adhucq; metam Cimmeris impiam
Et tela damnat, barbara missilem
Exsangue per patris cadauer
Progenies vbi misit imbrem.
Acsi paterno sanguine pulchriùs
Tingenda nictet purpura, & effluo
Murex colorandus cruore
Præ Tyrijs rubeat venenis.
Eheu! pudendum: voluimus integras
Hucvsq; moles corporum, & aggeres
Artusq; manesq; insepultos,
Ossa suis inhumata glebis,

Quæ Roma cæcis acta furoribus,
Quæ st auit Orbis, signa vt Achaico
Ferenda ponto congregauit
In proprias ruitura cædes:
Et quas Araxes noscere debuit,
Quas Parthus asper, quas Babylon suo
Superba fastu, quas Pyrene
Et proprijs Garamas lacunis:
Has Ciuis iras sensit, & asperum
Accepit ictum; Cæsar in vltimum
Dum bella Pompeium, grauemq́,
Sylla grauis mouet hostis hostem
Horret dolosis semita sentibus,
Et ferro & armis; Sarmaticas vbi
Lesco relaturus coronas
In medio posuisse cursu
Ausus rigentes cuspidibus stylos,
Hamisq́ durum sternere tramitem;
Per saxa, per ferrum, per enses
Vt Lechicum peteretur ostrum.
Cessat nec atri prodiga sanguinis
Feralis ætas; imus in improbos
Cæci mucrones, & cruentis
Sanguinibus satiamus ipsum
Regni furorem; sceptraq́ turbidis
Mercamur ausis, eluimus nigro
Regum paludamenta tabo,
Morte graues emimus tiaras.
Nec his fugacem consequimur tamen
Curis honorem semper. Aheneo
Sæpe ille quæsitus fragore
In varias fugitiuus oras
Orbisq́ fines cedit in vltimos,
Et nos futuris fabula sæculis
Ridenda, venamur superbis
Vota nisi interitura votis.



CApulo aduersùs Crucigeros illustrior in VLADISLAVIẽSI Sede
Quàm Pontificio pedo, CASIMIRO Regi complacuit
Amant militares animæ & in sacra Purpura animorum ferociā;
Et non indignum existimant,
Si sub sanctiore etiam toga aliquis è sago Spiritus inhæret.
Quasi militantis Ecclesiæ sit,
A subsidiarijs suis profana arma exigere;
Et Episcopalis non differat ordo, à Militari.
Neq; extinxit bellicum hunc spiritum GRVSCINIVS,
Certus Cracouiensis etiam Cathedræ fastigium
Manu forti occupare.
Adhuc aduersùs Crucigeros feralibus odijs ardere se existimās,
Dum aduersùs SIENIENSCIVM
Cruce

Ferale id spectaculum erat, quod Grvscinij ambitio dedit.
Detentus in arce SIENIENSCIVS jam tunc viuus testis,
Fortunæ non tam dulces epulas esse, vt amarore non condiantur.
Non ex omni parte felicitas est, sublimius ascendisse:
Nec enim infimi tantũ colles, sed & excelsi mõtes, fulminibus patẽt,
Adeóq; ventus arundines agitare contentus,
Grandiores quercus frangit.
Exuti bonis suis SIENIENSCII sectatores.
Fatalis quippe febris, inuidia:
Non caput tantùm sed & reliqua membra petit.
Monitus de iniurijs CASIMIRVS.
Sed hoc in Grvscinivm, Grvscinio in Luteccium deuoluente
Authorem culpa non habuit.
Domestica hæc vitij infamia,
Vt quantumuis à plurimis ametur, omnes tamen illius pudeat.
Praxiteles habet & Lysippos,
Sed qui operi suo nomina non inscribunt.
Patuit tamen audaciæ omnis origo GRVSCINIVS,
Quam acephalam videri voluit.
Auidiori, quam par erat, studio in Cracou: Cathedram irruens,
Honorem est adeptus,
Sed qui GRVSCINIO non vndiq; palmaris esset.
Nec enim semper argumentum ad famam, honoris possessio:
Promiscuus ille omnibus,
Et solis instar minimè dignis sæpius patet.
Malos cõmuniter cũ bonis admittit, deterioribus meliores æquat.
Vt vel areolam aliquam dicas,
In qua vilibus quoq; herbis inter flores superbire licet;
Inutili lolio inter vernantes violas.

Neq; ſtetit hîc cupiditas.
Altiſſima ſemper cupiens
Ad Gneſnenſes quoq; Aquilas luctari voluit.
Auida nempe eminendi orexis, vbi ſemel interuenit,
Pro edulio nihil poſcit, niſi ſumma faſtigia:
Tragematis loco habet omne ſubſellium;
Vt pene inter miracula numerari poſſit, Fortunæ ſobrietas:
Ad hauriendam illam vix non quiq; paratus helluo.
Euocatus à Principe Cracouiam,
Dum ſeram noctem lætior protrahit,
Poſt viarum pericula ſuperata naufragium facit in cratere.
Funus extra Cracouiam Casimirvs proſecutus,
Pullatam pompam ſereniſſimis fulgoribus illuſtrauit.
Feliciore ad Majeſtatem Grvscinio, quàm ad Clerum ſuum.
Nam corpori Gneſnam delato Collegium obuiare noluit.
Adeò tecti cineribus odia clarius poſtea ſcintillant.
Pleraq; tempore molliũtur, ſola læſæ mentis vulnera ſũt æterna.
Quantum de affectibus hominum meruimus, mors oſtendit:
Vel minimus hîc de defuncti cinere puluis
Pupillam viuentium rodit.
Illud tamen GRVSCINII egregium facinus,
Quod ad majorem nominis ſui famam
Minorem Aſſiſinatis Ordinẽ fundauit in Louicienſibus pratis;
Vt ita IOANNEM ſe oſtenderet deſerti amatorem.
Nouũ ſanè inſtituit paradiſum, vbi Seraphinum dedit cuſtodẽ.
E manuſcriptis Conuentûs illius colligitur
Spem aliquam melioris vitæ Grvscinio affulſiſſe:
Exiſtimandumq; veniam merito Pontifici,
Louicienſia prata ceſſiſſe in Elyſios campos.
Anno cæleſtis Agni terræ paſcua adamãtis CIƆCDLXXVIII.

IOAN-

IOANNI GRVSCINIO.
ODE XXXVII.

ADbuc in istos Pierio feror
Dolore Vates, qui ambitui manus
Honoris asseclæ dederunt,
Et cupidam dominandi orexin
Per cæterorum nonnisi flebilem
Tollunt ruinam. Quis propero furor
Sic GRVSCINI passu volare!
Vt studijs trabeas anhelis
Episcopales nescius integri
Petas pudoris, nec Latiæ memor
Saltim potestatis, superbus
Ad Cracias properes curules.
Iam dico: magnæ quòd grauis ambitus
Est prædo famæ. Quisquis inutilis
Venator aucupas honorem;
Vel fugiet, cicurem fugaci
Vel mente finget callidus indolem
Vix fidus vnquam. Semper hic insolens
Comædus extruit theatrum,
Vt tragicam nisi turbulenta
Persona scenam reddat, inanium
Testisq; tantùm orchestra sit actuum
Et turba spectatrix, cothurno
Ad minimum trepidante motum.
Nec jam per vnam nomina viuimus
Tam vana scenam: dum jubet, impio

Seruimus

Seruimus Actores Magistro, &
Obsequio famulante nunc hæc,
Nunc illa fimus fabula: Principem
Nuperq; iussi qui fuimus locum
Sperare, vel simplex mapale,
Vel tenues retinemus ædes.
Non est, probroso cur habeas fidem
Vllam latroni. nil nisi lugubres
Prædator hic quærit ruinas,
Et spolijs tumet inquietus
Pirata nostris: nil nisi flebilem
Molitur in nos ambitus exitum
Iniquus, ac in Te IOANNES;
Qui Cracias licèt expetendo
Adeptus aras, non tamen exitum
Es nactus illum, Præsuleas queat
Ornare qui vittas; vbi illo
Debueras caruisse pane,
Quo vita constat. Credite posteri,
Rursusq; dicam, credite posteri,
Quemcunq; tantùm vel cupido,
Esuries tumidi vel atrox
Honoris vrget, non benè transfugam
Affectat offam: si ambitiosior
Grassatur in nobis libido,
Vix tragicum fugit illa casum.



CApitularium imprimis votis electus,
Sed ob CASIMIRI metum jure suo cessit GRVSCINIO.
Regalem veritus Aquilam, nè pro gratia sentiret fulmen.
Par tanto fastigio,
Nisi auidior eminendi cupiditas ostenderet minorem.
Plerumq; inferiorem se monstrat,
Quicunq; auidiùs appetit Purpuram.
Abnegatio honoris, potissimum magnitudinis argumentum.
Vladislauiensis muricis post GRVSCINIVM spe accepta
Cū alijs proceribus non modicus aduersùs SIENIENSCIū æmulus.
Quò velociùs euolant: eò segniùs peruenerunt
GRVSCINIVS ad Cracouiensē Sedem, ad VLADISLAV: LVTECCIVS.
Scilicet *sibi ipsi obsistit sæpiùs ambitio;*
Et dum citatiùs ad fastigium properat, quàm tardissima venit.

Quò

Quò altiore cothurno incedere desiderat,
Eò cum maiore periculo figit pedem.
Si vspiam alibi; in obientu honoris
Sæpe ipsa velocitas maioris interualli est causa.
Tardioresq; passus superbia habet, quàm virtus.
GRVSCINIO tandem ad Metropolitanam Sedem translato,
LVTECCIVS Cracouiensem ingreditur.
Vnius Regis nominatione,
Quòd multorum antea suffragijs consequi non potuerat.
Immensitatē quodāmodò Diuinā iam tūc æmulari volente CASIMIRO;
Vt nihil alij agere possent, nisi ex ipsius omnipotentia.
LVTECCIVS verò Pontifex factus,
Iræ, quā egregiè olim dissimulauerat, in Infula magis obnoxius.
Seu, quòd ea censurantis vulgi fuerit peruersitas,
Vt quæ in priuato olim neglexerat,
In fortunatiore curiosiùs notauerit.
Habet hoc primū magna Fortuna, quòd nihil occultū esse sustinet.
Vix aliquem in conclaue suum admittit,
Statim non domum tantùm recludit, sed & intima cubicula.
Priuatus vtcunq; defectum celauerit;
Potentiorum arcana quoq; vitia, omnibus patent.
Vt & Sol, quò altior, eò spectatior.
Popularis auræ appetentior, excusabili studio,
Si non per sumptuosiores mensas eam quæsiuisset.
Omnes quippè eo fato nascimur,
Vt aliquid saltèm pennarū à nobis laudationis viscus accipiat.
At malis artibus popularis fauor quæritur, si tantum per conuiuia.
Nō adeò pulchra perēnatur nominis comædia, comessatio superflua
In istis impendijs malè ponitur fundamentum famæ.
Imò ingloria eiusmodi mensa,

Quæ

Quæ ad luxum nisi & pompam fercula tenet:
Nec vt gustentur, sed vt spectentur,
Quasi & oculi ament saginari.
Atq; ita dum inconsultâ liberalitate LUTECCIUS laborat magìs,
Quàm domestica fortuna ferret;
Effecit, vt inopiam potiùs caperet, quàm famam,
Maximè, postquam æri alieno obnoxius est factus.
Nullibi nempè miseriùs pecunia quæritur,
Quàm vbi effusissimè solet expendi.
Luxu, qui ostentat opes, eneruat.
Hæc si à LVTECCIO excluseris,
Nō indignus omnino quē sinu suo Pontificius honor exciperet.
Castitate insignis, duplicauit Sacræ Purpuræ pretium,
Dum pudicitiæ coccinum addidit.
Eô venustior, quòd Cypridis depressit Filium.
In rebus agendis prudens, & cunctabundus.
Nec enim semper cunctatio seruilis;
Magnorum est subindè, non statim exequi.
Aduersùs turbatores Patriæ asperior, quod vel contra Derslaū patuit.
Inquietum is suo sæculo Reipublicæ caput.
Non aliunde, nisi quia Patrui opibus intumuerat.
Vt fere est;
Ignorat scelera egestas, sed ab opibus illa discit.
Plerumq; paratum bonæ mentis naufragium,
Cùm superfluunt, & abundant omnia.
Aliquis diuitiis inest ardor, quia facilè virtutes exurūt.
Vsus fuerat aduersùs iuniorem hunc adhuc Catilinam
Lege togâq; OLESNICIVS.
Et quieuerat tantisper DERSLAVS.
Sed quia *nunquam bona fide vitia mansuescunt;*
Si aliqud illis permittitur, in reliqua ius vsurpant.

Redeunt semper cum fænore,
Et cessare possunt in homine, non deesse.
Ideò mortuo OLESNICIO Derslai malitia reuixit,
Vel indè major, quòd Palatinis Sēdomiriæ curulibus tumidior.
Sed non defuit turbatori suus Cicero:
Dum Cracouiensia Comitia turbulentâ sententiâ Derslaus inquietat,
LVTECCIVS patheticus in illum Orator, adeo;
Vt, nimiâ irâ & indignatione in apoplexiam incidens,
Vitæ acceperit terminum.
Crederes cōtra nouum ANTONIVM formatā à LVTECCIO Philippicā;
Cui vbi finem imponere debuit, DIXIT & VIXIT
Anno Dñi CIↃ. CDLXXI.
Episcopatûs sui, supra menses aliquot, anno VI.

IOANNI LVTECCIO.

ODE XXXVIII.

ET sic LVTECCI quò magè prodigis
Mensis studemus; deteriùs valet
Fortuna nostra: nemo fastu,
Attalico quoq; nemo luxu
Ditatus vnquàm. Plus nimio parat
Prandere quisquis; de numero statim
Se pauperum noscat, creata est
Ex opibus nimijs egestas.
Hæc verò quorsum? si volumus benè
Rem nosse nostram; culpa LVTECCII
Non huius est tantùm. Quirites
Quotidie similem patramus
Fortasse noxam. Non Siculas dapes,
Non damno mensas, quas Sybaris vetus,

Quas

Quas Bactra, vel Campana tellus,
Quas vel Arabs tenuit, vel Indus;
Tenemus & nos. Ambitiosior
Dum ferculorum pompa placet nisi,
Et longa vitrorum theatra
Egregij studiosa Bacchi:
Dum tota tellus penè famelicæ
Et totus àër vix satis est gulæ;
Immensa vix quando fluenta
Sufficiunt, tumidusq; Balthis.
Cænamus aurum, vel pretiosius
Est quidquid auro, pendimus integras
Subinde fortunas auorum,
Quodq; parens genitrixq; nobis
Reliquit, omne id noster inutili
Absumit impensa tumor; & minùs
Fortassis hoc esset dolendum,
Si dapibus frueremur istis,
Quas apparauit nostra superbia.
Sed heu! pudendum, quas epulas coci,
Instructa quas aptat culina,
His oculos saturamus vnos,
Spectando tantùm fercula, rariùs
Gustando vel nunquàm: in propria satur
Dum quisq; iam domo otiosè
Ad appositum sedet hospes orbem,
Quod verò mansit, destruitur: vel it
In vile vulgus, in malè confluam
Turbam ministrorum, rapaces
In pueros, miserosq; lixas.
Eheu! Quirites, sit modus omnibus
Quandoq; pompis: vltimus est furor
Errorq; mentis, velle multùm,
Cùm modico satiare possis
Naturæ orexim. Non homini imperet,
Non iura ponat venter: ad vltimas
Damnetur at terras cupedo,
Vult quæ aliquando supra necesse.

 IOAN-



PRobare Fortuna voluerat,
An etiam Polona fortitudo ſciret dura pati.
Crudelis Dea horrendùm aliquando ſonat,
Nec in delicijs ſemper habet, ſed ad caſtra ſubinde trahit.
Præliares poſcit animas,
Et quibus non alius ad victorias trames, quàm moleſtiæ.
Cùm modicum quietis indulſerit, ſtatim ad claſſica vocat,
Communiterq́, proſperis aduerſa interpolat.
Ita VLADISLAVM Iagelonidam olim conceſſerat
Breues Polonis delicias:
Cui Poloniæ & Hungariæ Regnis potenti, nil ad felicitatē defuiſſe viſū,
Niſi vt animum oſtenderet tantis faſtigijs parem.
Cupiditas Nominis & adoleſcentia, commune argumentum ad Famam,
Maximè apud Principes: quibus ad thronum euectis
Extemplò fama incertùm bona vel mala, cæterùm æterna eſt.

Vt grandibus operibus illuſtriorem purpuram redderet.
Non neſcius *à Parentibus accepiſſe paludamentum, felicitatis eſſe, Aduerſariorum & ſuo ſanguine tinxiſſe; virtutis.*
Amurathi oppoſuit Martem,
Cui propitia inprimis Fortuna barbarum hoſtem compulit,
Vt pacem peteret, dare potiùs leges, quàm accipere doctior.
Et ſatis fuit VLADISLAO, viciſſe.
Sed ſpe vlterioris victoriæ deceptus, arma reſumit in Orientem.
Promittebantur in ſuppetias auxiliares Sarpedones,
Verùm præter ſubſidiariam Poloniæ Pentheſileam nemo adfuit,
Qui de proprio robore adderet ad VLADISLAI auſpicia.
Datus ergo virtuti campus, non Fortunæ:
Contra Amurathem centum ſuorum millibus inſtructum
VLADISLAVS nonniſi viginti millia numerans, egreſſus,
Imminentibus vndiq; periculis heroicam fortitudinem non abſcondit,
Certus in Martiali acie cadendo; ſi non triumphi oſtendi Fortunam;
Excelſam nihilominùs cordis commendari virtutem.
Ibi ab Amurathe, non tam victus, quàm obrutus,
Cadere maluit, quàm cedere.
Egregio virtutis teſtimonio;
Quæ *auida periculi, quò tendat, non quod paſſura eſt, cogitat.*
Nec ſolus hic VLADISLAVS pro Chriſtiana re Codrus.
Quotquot Imperatorem ſuum ſecuti,
Regiæ calamitatis non teſtes tantùm eſſe voluerunt, ſed & hæredes:
Deſperato penè in Poloniam cladis nuntio.
Vnicus IOANNES RESSOVIVS cum GREGORIO Sanoccio
In tanta aliorum ſtrage, incolumis.
Qui vbi in Poloniam venit, militari balteo poſito,
Ex milite CANONICVS primò factus, deinde Præſul.
Pro ſago ſanctiorem indutus togam, ab armis ad aras tranſiſt:
Non cruore iam hoſtium, ſed diuinioribus hoſtijs litaturus.
Sic galeam in Infulam,
Gladium & haſtilia in Pontificium Scipionem mutauit.

Qui non minor in ſacra purpura, quàm olim in chlamyde
Virtuti vbiq; ſuum theatrum dedit.
Literaturæ eius; quæ non infra tantùm eſſet faſtigium.
Et cui non vulgaris rerum vſus nomen peperit.
Plerumq; magni viri teſtimonium eſt, probata in rebus dexteritas:
Nec enim ad tenuis obſequij operam deſtinantur grandes animæ,
Poſtquam negotii maieſtate intenditur
Et miniſtri virtus, & Principis dignitas.
Retulit tamen hanc ab Aulæ obſequijs gratiam,
Quia propter Regias neceſſitates obæratus vixit.
Nimirùm *Maieſtatibus famulari, ſæpius eſt inopiæ præludium.*
Seruit pompa, Domini quidem felicitas,
Sed ſeruienti veriſſima ad egeſtatem prædux.
Per ornamenta frequentiùs in miſeriæ deuenitur domum.
Famularisq; alacritas quantò ſumptuoſiùs agit,
Tantò ampliùs poſtea indigentiæ dat ſpectaculum.
Quanquàm magnificus Ressovij animus, plùs fortaſſe impendit,
Quàm Principis neceſſitas exigeret:
Vt alibi poſtea patuit,
Vbi inſtruendo neptis ſuæ nuptiali actui intentus,
Ex nimia ſollicitudine finijt vitam.
Pro hymenæis, quas ſpectare debuerat tædis,
Buſtuarias faces nactus & funalia.
Anno Regis ſæculorum in tempore nati M. CDLXXXVIII.
Pontificij ſtatûs Anno XVI.
Documentum Præſulibus,
Mundiales curæ, quàm ſacratiori Purpuræ fatales ſemper.
Aliis ſuus ſanguis excuſabilis,
In Antiſtitibus tamen vix caret vituperio,
Si in maiori reſpectu affinitas, quàm DEVS.
Ita cognationi indulgendum, vt Dioeceſis primas teneat.
Aliàs erubeſcendum Pontificio Scipioni,
Si domum ſuam tantum fulcire vult, non item Eccleſiam.

IOAN-

IOANNI RESSOVIO.

ODE XXXIX.


ET Te benigno non ſine Numine
Cracouienſem ſeruat ad Inſulam
Fortuna RESSOVI, Gradiui
E medio dominantis æſtu
Natale poſtquàm innoxius ad ſolum
Sanusq; veniſti. Horror! aheneæ
Adhuc recordari procellæ,
Threijcium veniens in hoſtem
Mars quando noſter, Bulgaricam ſtetit
Ad vſq; Varnam, fræna furoribus
Largitus inconſulta cæcis,
Et nimium tribuens priori
Felicitati, prælia dum feris
Indixit armis. Iuimus, iuimus,
In arma Lechi, Pannonumq;
Belligeras tuitum cohortes
Mauorte noſtro venimus: & dabat
Iam rauca clarum buccina claſſicum,
Conchæq; iam pugnam ſonabant,
Terrifici lituiq; mæſto
Viros ciebant ære: ferocibus
Cum Beſſus & Seres numeroſior
Stat inde turmis, inde Panno
Exiguus metuendus alis,

Hinc

Hinc Lechus autem. Pannonicæ nihil,
Nil & Polonæ defuit indoli
Ad pulchra de Parthis trophæa
Egregiam faciente fortis
Virtute ſcenam pectoris; æneo
Sêu flamma plumbo detonuit truces
Aduerſus hoſtium phalanges,
Sêu clypeis clypei retuſi,
Et tela telis. Vnica bellicæ
Fortuna ſorti defuit, impigro
Quam dum VLADISLAVS labore
Pene cupit profugam tenere,
Suisq; fauſtam reddere copiis;
Irata primò deſtituit Ducem
Et inde militem. Fugatæ
Hinc equitum peditumq; turmæ,
Horret! iacentûm quanta cadauerum
Exinde moles facta! minoribus
Saltem doloribus, ſi aperto
Marte grauem ſubiiſſe caſum
Liceret, aût (prôut magnanimum decet
Heroa) pulchro vulnere pallidam
Vocare mortem, vel decoro
Exitio properare dirum
Adusq; fatum: ſi niſi bellicus
Strauiſſet enſis, funera Thracicus
Vel mæſta contuliſſet ictus,
Aut valido periiſſe ferro

Fas esset hostis; sed, pudor! omnibus
Et quod dolendum, non nisi sæculis,
Plures paludosis lacunis,
Vel madido periêre cæno.
Pudet: Polonum quanta super Thronum,
Et quanta Regnis Sarmaticis fuit
Illata tunc strages: Coronam
Dum viduam malesana Thracum
Libido nobis reddidit, & Lechi
Dum flos Senatûs, dum peryt vigor,
Enixa quem cum Marte Pallas,
Inq; sinu proprio nutriuit
Bellona pugnax. Te melioribus
Fortuna RESSOVI auspiciis dedit
Et sanum & illæsum reuerti,
Vt Cracijs renitere Templis
Quandoq; posses. Vsq; adeò, volunt
Quos fata viuos reddere prouida,
Et de profundarum vadosis
Vorticibus rapiunt aquarum,
Redduntq; tutos. Nil medijs nocet
Claudi sepulchris si velit integros
Tenere cælum; detinebit
In medijs etiam ruinis.

FRIDERICVS PRINCEPS CARDINALIS.



A BOLESNICIO hæc Cracouienſis Inſulæ felicitas,
Quòd in ipſo ſui aditu creet Duces:
Principũ q; nominibus inſigniat, quos tantũ aris ſuis admouit.
At liberaliùs cum FRIDERICO Fortuna egit,
Dũ Pontificiæ trabeæ priùs magnũ nomen intulit, quã accepit.
IAGELONVM & AVSTRIACORVM ſanguis,
Ad fortunati officij cognomentum naturæ munus contulit.
Pulchrum exiſtimans
Si non munere tantùm, ſed & origine eſſet Princeps.
Affine id cælo decus tot ſplendorum extitiſſe Patriam,
Et tam grandes titulos à cunis etiam habere,
Quos in canis niſi ſperare poſſit emerita virtus.

Habuit

Habuit tanti ſanguinis reuerentiam Fortuna,
Quia præter Ducales Seueriæ Mitras ſubmiſit Gneſnenſes.
Acceſſit Cardinalitia Purpura:
Nec enim parcus vnquam eſt honor in magnos natales.
Liberaliùs ſe ijs propinat,
Quos originis claritas fecit ampliſſimos.
Vnicum nocuit FRIDERICO,
Quod in tanta ſanguinis & dignitatum luce
Aliquas in eo maculas notauerit Cromerus.
Nataliumne vitio? qui quò illuſtriores,
Eò magis minorem etiam celare non poſſunt nubeculam:
Seu quod ea ſit magni ſanguinis calamitas,
Vt ſæpe filij Heroum ſint noxæ:
Sæpe maiorum purpura erubeſcat pro Nepotibus,
Parentumq; gloria laboret in poſteris.
IOANNE ALBERTO mortuo.
Muſarum potiùs quàm Polonæ nobilitatis delicio,
Diuiſa erant Polonorum ſtudia, cui Coronam deſtinarent.
Pro VLADISLAO Hungarorum & Bohemorũ Rege ſtabat ratio;
Quòd duobus iã Regnis potẽs, aliquid addere potuiſſet ad Poloniæ vires
SIGISMVNDVS alijs placuerat;
Qui licet Fratribus cæteris minor natu,
Ejus tamen indolis, quæ ſufficeret throno.
Leue enim ad Coronas ſuffragium ætas; ſi virtus ſuffragatur.
Prærogatiua Natalis horæ vix aliquid cõfert, vbi eminẽt merita
Et relictus quidem à Polonis VLADISLAVS, nec SIGISMVNDVS admiſſus:
Parantibus id decus per FRIDERICVM fatis,
Vt ALEXANDRO Lithuaniæ Duci decerneretur diadema.
Ita vel in tanto Regum numero eminuit ALEXANDER,
Hæreditariũ nomini habens, vt primus decurreret ad Coronas.

Et Germano ALEXANDRO, & MACEDONE illo, vel ideo major,
Quòd Regna non quæreret, sed daret,
Postquàm Cracouiæ imposuit solenniter ALEXANDRO Coronã.
Nouũ tunc spectaculum, & quod forsan Antiquitas non vidit,
Quatuor Fratrum concordia, cum ageretur de Regno.
VLADISLAVS modestè supersedens,
SIGISMVNDVS omitti se non offensus,
FRIDERICVS vltro etiam diadema offerens,
ALEXANDER coronatus supra alios non elatior.
Aliàs
Rara hæc in Coronis gemma, Fratrum Vnio.
Coronatus ALEXANDER, sed negatum HELENæ diadema.
Eò, quòd Schismaticis ritibus addictior, abhorreret à Romanis.
Indigna sanè coronari, quæ caput Ecclesiæ non agnouit.
Acephala cum fuit, coronam non meruit.
Inepta Reginali annulo, quæ Piscatoris non admitteret.
Et à Romano Tiberi aliena purpuram tingere non potuit.
Sic norint inaccessas sibi apud Nos fortunatas Insulas,
Qui PETRI nauiculam non ascendunt.
ALEXANDER interim in Lituaniam profectus
Imperium Poloniæ FRIDERICO credidit.
Meruerat fidem, qui coronam priùs vltro dedit.
Iunctissimo alias sanguini vix fidendum,
Postquam occupauit cor ambitio.
Sapida nimis offa dominatio,
Ad quam excitata orexis Fratres etiam discordes facit.
Et rexit populos FRIDERICUS præter vnicam mortem,
Quæ Serenissimis quoq; titulis potentem adorta,
Et Regij sanguinis & Maiestatis irreuerens,
Mitram, & Pontificiam Infulam deponere iussit:
Anno Christi M.DIII. FRIDERICI XXXV.

ODE XL.

QVis oro Lechi? Quis IAGELONIÆ
Sint quanta, nescit, stemmata gloriæ,
Quis AVSTRIACORVM ue Alaudas
Sub superos volitare cælos
Ignorat infans? non Phaëton eò,
Non venit audax Dædalus; euolat
Quò fama natalis Domorum
AVSTRIACÆ IAGELONICÆq;
Quà pronus Othrys, quà gelidæ latus
Subsedit Ossæ, quà viridi stetit
Decorus in thyrso Cytheron,
Et patulis nemorosus vlmis
Sacerq; Phœbo Pindus, & auij
Abrupta Cynthi, quâ Tagus aureo
Decurrit Hispanus metallo,
Quâ niueus remeat Sicamber:
Vel nota pridem quâ Rhodope suis
Formosa lauris, quâ socios ferax
Exundat in campos Galesus;
Hac teneram redimita frontem
It fama pernix, & IAGELONIDVM
Nomen sub ipsum prouehit æthera,
Blandâq; Maiestate turgens
Magnificas canit vltro ceras.
Credetis? io! Credite posteri,
Vicina cælo est, quæ IAGELONIIS

Lucina seruit, vel coronas
Vel rutilum diadema primo
Depromit ortu, sceptraq; fasciis
Inuoluit & fasces puerilibus;
Honorq; non vulgaris adstat
Vel teneras agitando cunas,
Vel dulce ridens. Hinc Litauis equus
Notus lupatis; fulminis horridi
Minister hinc ales Polonus;
Et liquidis famularis vndis
Bohemus Albis; Pannoq; vitrei
Cultor Tibisci, sub IAGELONIA
Vixêre subditi corona;
Nec puduit dominantis aulæ
Parere iussis; seu ad aheneos
Mauors labores duceret, & soror
Bellona Martis; seu quietis
Pax studiis adhibere vellet.
Iam quanta magnæ copia gloriæ
In AVSTRIORVM sanguine nobiles
Lustrare fastos, à RVDOLPHO
Dum imperij retinet supremum
Augusta clauum Prosapia, & suo
Hucusq; tangit sidera vertice
Fortuna natalis, renatâ
Nobilitate virens vbiq;, vt
Sit Cæsar, aut de Cæsare debeat
Omninò nasci prodigialior,
Quemcunq; de tanta requires
Stirpe virum. Famulante passu

Honor

Honor miniſtrat, nec dubias vices
Mutare nouit, ſed numerat Patres
Auosq́; per faſces, paremq́;
Continuat trabeis tenorem.
Hæc fama magni conſcia Nominis,
Hæc vtriuſq́; & conſcia ſtemmatis,
Fortuna natalis recenſet
Eximiis animata factis.
Me verò magnum quis IAGELONIDVM
Et AVSTRIORVM dicere ſanguinem
Coëgit ardor? quis Tiaris
Et dominis memoranda Sceptris
Narrare iuſſit Nomina, non ſeni
Iam nota vulgo, nota pueritiæ
Sed vel tenellulæ, ſed omni
Indubiè celebrata genti.
Tuæ laborat pagina gloriæ,
Tuo ſacratur ſepia Nomini
Et AVSTRIORVM & IAGELONIS
Non modicum FRIDERICE pondus
Et magna moles ſanguinis. Ex Auis
Et è Parentum magnificis Tuam
Deſcendit in laudem trophæis
Muſa mea, vt pateat Cracææ
Fortuna Mitræ, ſcirpum vbi Regium
Epiſcopali porrigis Inſulæ
Regumq́; Natalem. ſerenat
Tam celebris diadema vittæ
Omninò multos; ſed magis emicat
Quicunq́; tantis culminibus ſuos
Addit decores, & Paternis
Stemmatibus cumulat ſacratæ
Non vanus actor culmina purpuræ.
Vt quiſq́; præter Præſuleam Mitram
Natale circumfert obryzum,
Hic celebris ſatur eſto famæ.

CHRISTIANÆ PALLADI
Scholasticorum
Maximo, sed simul castissimo delicio

DIVÆ CATHARINÆ
VIRGINI & MARTYRI
Pro quarta Antistitum Cracouiensium Decade
EVCHARISTICVM.

PRome laudes penna lenis,
Gratiarum prome census,
Et sacrata CATHARINÆ
Dona defer Martyri:
CHRISTIANÆ quod resumit
Palladis nomen; Patronam
Obtulit dextram, & benignis
Læta risit vultibus,
Hinc Cracææ si quid egi
Militans Vates Tiaræ;
Illa Clio est, illa nostram
Quæ iuuabat sepiam.
Quid Thaliam, quid nouennem
Virginum chorum requiro?
Sanctiorem è CATHARINA
Cum Mineruam nouerim,
Illa casto lacte, tanquàm
Hippocreneo canali,
Fertilem non vndequáq;
Irrigabat impetum,

IOANNES KONARSKI.



PAr prodigio, probari Aulæ, & quidem sanctæ.
Aliàs *sordidissima cauponatio est in quibusdam curijs,*
Vbi amor non emitur, nisi nequitiam dederis in censum.
Rarum spectaculum ibi sanctitas,
Sterili ad hanc tam dominantium quam seruientium ingenio:
Quasi eiusmodi hominibus
Probitas in arduo monte sit posita; improbitas in imis vallibus.
Vnicum theatrum KONARSCII, Aula:
Qui Casimiro, sancto illi Poloniæ Principi ab obsequijs,
Et Majestati illius seruiuit & Sanctitati.
Æmulari ambos in virtute diceres:
Et hoc erat plusquam Macedonici in Casimiro animi,
Non dedignari cum inferioribus Olympia,
Licet Regius fuisset sanguis

Dignus eo ipso laureâ, quòd passus æmulum.
Vbi tamen post Hungarici diadematis nauseam
Ad cælestem inauguratur Coronam CASIMIRVS,
In testem inaugurationis tantæ assumitur & KONARSCIVS:
Quando in eius manibus Sanctissimus Princeps suum efflauit spiritum.
Felix omnino dextera, quæ tantam sustinuit sanctitatem.
Fideli seruo cum nihil præstantius legare potuit,
Ipse Dominus cedere voluit in munus.
Vel hinc grandem testatus affectum,
Quòd post fata etiam ab illo diuelli non pateretur.
Alibi cum morte luctari noluit liliatus hic eques,
Nisi in KONARSCII sinu.
Vel quòd in pij ministri pectore panopliam sperauit,
Quâ à mortis iaculis se defenderet;
Vel quia palmares KONARSCII manus credidit,
Quibus in lucta sua se defendere posset sanctus ATHLETA.
Beatæ manus; quibus tantum depositum est creditum.
Diuinior HORTENSIVS; à quo tam candidum lilium tractari voluit.
IOANNIS est vt video,
Et CHRISTI Matrem, & domesticos ejus *accipere in sua.*
Illato Cælis CASIMIRO superstes KONARSCIVS,
Ad FRIDERICI aulam se contulit.
Non tam sanctè habita hæc FRIDERICO, vt CASIMIRO.
Inuenit tamen KONARSCIVS & ibi sanctitati locum,
Vt nouum documentum relinqueret,
Suam virtuti vbiq; esse scholam, vbiq; theatrum.
Peruersæq; ætatis nisi iudicium, vt illi in aulis neget locum.
Accessit bonitati tantæ honor,
Qui in KONARSCIVM nõ Prælaturis tantùm, sed & Infulis beneficus,
A morte FRIDERICI Cracouiensem cessit Cathedram.

Neq;

Neq; occuluit postea hic sub purpura virtutem,
Ignauis enim tādiu virtus in pretio, quādiu Fortuna nō ad manū:
Vbi amplior felicitas coruscare cæpit, etiam illa extingui.
Quasi opprobrium sit purpuræ virtus admissa;
Et desperari de honesto debeat, opulentiā eminente.
CHRISTO & VIRGINI sine labe conceptæ mirè deuotus.
Pretiosa enim Infulæ gemma, Infulati pietas.
Temporis auarus,
Nullum nisi sacrarum literarum otium adamauit.
Æterno illorum opprobrio,
Quibus nihil solenniùs, quàm dierum perditio.
Ignorantibus omnino *rerum omnium iacturam reparabilem esse,*
Præterquam temporis.
Infinita huius velocitas, non attingitur, vbi semel aufugerit.
Et quidē CHRYSOSTOMI lectioni addictior, in illius scriptis gustū sēsit
Qui magnum PAVLVM habuit Dictatorem.
Minimè mirum, si auidè legeretur sanctissimus Doctor,
Quando aurei oris erat.
Ad Eudoxias tantùm infelix CHRYSOSTOMVS,
Regnaricis fæminæ si augustal exceperis, omnium est deliciū.
Ecclesiam amplioribus auxit reditibus:
Optimus nempe suæ Matris filius,
Quidquid ab illa accepit, totum planè refudit.
Non caruit Nepotibus,
Sed quos virtutis potiùs hæredes vellet, quàm fortunæ.
His opibus eos ditans, quarum pretium à bonis moribus.
Ægritudine tandē & senio fractus dum impares muneri humeros sensit,
Ne fatisceret fessus Athlas, integrum accersiuit Alcidem.
Auxit gloriam taliter deuoluta in alium moles;
Dum non suo tantùm, sed & Orbis iudicio, elegit optimum.


 Sed vbi pedum iterum grauissimo premitur morbo,
Pro doloris solatio
Origenis in Iobum commentarios continuò versat.
Hoc est
Alienæ fortitudinis exemplum, ad propriæ incitamentum, assumi:
Reliqua decora vtcunq; didiceris;
Patientia non nisi per exempla instillatur.
Excitent hic Miltiadis Trophæa Themistoclem;
Spartana virtus aliter non discitur.
Ætatis demum suæ anno LXXVIII. Christi M.D.XXV.
Ex hac vita ad CASIMIRVM suum festinauit,
Stupente Orbe
Quod infirmis adeò pedibus tã vegetus tamẽ ad cælũ peruenit.

IOANNI KONARSCIO.
ODE XLI.

MAiornè Famæ materies dari
Et scena posset? quàm exilio suum
Damnásse sanguinem, ac ab extrà
Ad Craciam petijsse sedem
Alcidem Athlanti. Viuere posteris
Hæc digna sanè gloria sæculis,
Et digna, quàm totus Coronis
Depositis veneretur Orbis.
Sic sancta censet scilicet indoles,
Sic vera nouit ducere sanctitas;
Affinitas vt nulla regnet,
Sed potiùs generosa virtus:

Sacra-

Sacratiores vt trabeas gerant
Recti sequaces, & grauioribus
Mens literis instructa bellè,
Vita probos referensq; mores.
Hinc si quid olim nominis arbitra
Tibi dat ætas; in solido Tibi
Hinc si quid est laudis metallo
Pontificum pretiosa gemma
Magne ô KONARSCI, quòd teneros adhuc
In sanctitatis transieris schola
Annos, quòd integram modestâ
Condieris pietate vitam:
Quòd pulchra Craci ne minimo Mitra
Infecta næuo, Præsulis optimè
Quòd munus est verè peractum,
Tenta quòd in studiis iuuentus;
Et prima semper commoda Lechicis
Quæsita Regnis; hoc quoq; non minus
Erit perennantis theatrum
Sarmatico super orbe famæ:
Quod visa virtus est potior Tibi
Externa quamuis, quàm vlla propinquitas:
Quod & Nepotismus coactus
Post Tyias procul ire Gades.



QVàm ſatiùs hæc reſeruaſſes Plini;
Si in KONARSCIVM & TOMICCIVM incidiſſes.
Nulla adoptati cum eo, qui adoptabat, cognatio; nulla neceſſitudo.
Niſi quòd vterq; optimus erat,
Dignuſq; alter eligi, alter eligere.
Didicerat ex morbo & ſenio ſuo KONARSCIVS,
Quàm imparibus eſſet Pontificio muneri lacertis,
Ideò tanquam minùs ſuffecturos, cenſuit ſubducendos.
Perorabat domeſticus apud illum ſanguis;
Sed egregius Præſul ibi laticlauiam depoſuit,
Vbi virtus optimè habitaret.
Ratus *ſolidiorem omnino & potentiorem nexum,*
Qui virtute nectitur, non ſanguinis vinculis.

Coacta

Coacta ergo exulare affinitas,
TOMICCIO Posnaniensi tunc Antistiti Cracouiensem cessit Purpurā:
Non sine Diuinitatis arbitrio, nam PETRO.
Optimè Ecclesiæ gubernaturo nauiculam,
Qui ex gentilitia naui jam sciret, quid sit Palinurum agere.
Nec absq; præludio virtutis, in tanti honoris theatrum venit.
In FRIDERICI Cardinalis aula Cancellarij munere functus,
Quas postea gessit, signatorijs Regni ceris prælusit.
Quo fatis absumpto ad LVBRANSCIVM se contulit,
Non accesså ALEXANDRI Regiâ.
Seu quòd Macedonis in eo nomen veritus, illam Aulā refugit,
Vbi non cuilibet liceret esse Ephestionem:
Seu quòd halcyonia tunc non vidit,
Vt aulico freto nauim suam committeret.
Nimirum;
Vt Maiestatum non semper ad Ciues est amor,
Arcanusq; affectus in hos, odium in illos;
Ita & in Ciuibus subinde reperias,
Quia obuiantem etiam Principum gratiam fugiunt.
Tamq; carò aliquando constat Ministri obsequium,
Quàm Domini fauor.
In SIGISMUNDI tamen I. manus vbi Poloniæ sceptra deuenerunt,
Etiam TOMICCIUS Serenissimum Solem secutus Hesperus.
Nec leuibus ministeriis adhibitus.
Non amant nisi grandibus exerceri ingentes animæ;
Statimq; ad magna nititur, cui Herculem nasci contigit.
In Valachiam primò, in Hungariam deinde Legatus,
Vt cuius imaginem referret, SIGISMUNDI meminit TOMICCIUS;
Ita quem mitteret; non oblitus TOMICCII SIGISMVNDVS.
Cui absenti
Intra quindecim dies, tres insigniores Prælaturas contulit

Festino

Festino nimiùm spatio:
Sed *decorũ erat accelerari præmia, vbi non tardabantur merita.*
Iniuriam fecisset Regalis beneficentia,
Si fortunam distulisset, cuius capacem indolem habuit.
Pede pœna claudo a Poëtis fingitur, non item Principũ gratia,
Eò illustrior est, quò citiùs illuxerit.
Serpat ad indignos, ad emeritas animas assumere alas debet.
Tertiò iterùm in Hungariam à suo Ioue Mercurius,
Vt ad merendum de Principe induit talaria,
Ita & Princeps ad gratificandum exuit testudinem:
Vbi vacantem oportunè Præmysliæ Infulam
Multis ad curiam præsentibus ambitam,
Absenti TOMICCIO in Hungariam misit.
Serenissimi Solis eò maiore elogio,
Quò longiùs beneficos radios protenderet:
Nec respiceret, quid curialis adulatio peteret,
Sed quod boni Ministri merebatur dexteritas.
Sic non sterilis sementis est, de Maiestatibus mereri.
Quidquid obsequiorum in hanc glebam spargitur;
Amplissimo redit fænore.
Nec secutus tantam TOMICCII fortunam liuor.
Paratus hic turbo,
Quoties fortuna plùs contulit, quàm capacitas meretur.
At vbi par felicitati indoles fastigium prensat,
Etiam ille mitescit.
Senatorio inscriptus albo respicere cæpit,
Quantum & Patriæ deberet, & cujus esset plasmatio.
Aliàs
Non vnius ingratitudo Principes suos ad pænitudinem adigit,
Vt nihil magis doleant, quàm creasse hominem,

Vbi

Vbi non aliter exsoluitur debitum,
Quàm per subitam ab obsequijs remissionem.
Sed memor TOMICCIVS se SIGISMVNDI creaturam,
Ad creatorem suum relationem habere voluit,
Serenissimo ALEXANDRO suo vbiq; Ephestio.
Obtigerat semel illi sæculo noua felicitas,
Quia SIGISMVNDVS cum VLADISLAO Fratre Hungariæ Rege,
Ad Maximilianum Cæsarem Auunculum inuisuri Viennã conuenerãt.
Quantum spectaculum!
Tot Monarchiarum dominos in vnum coijsse.
Aliàs *non extra periculum nimia Maiestatum vicinitas.*
Vix absq; motu est,
Quoties Mars in Saturni, vel Saturnus in Martis hospitatur domo.
Etiam nubes quoties concurrunt, colliduntur.
Et Luna coniunctissima licèt Fratri,
Simul tamen cum Sole non emicat.
Adornare quiuis Principum suam volebat scenam,
Vt in tanta Majestatum concurrentia ornatissimè consisterent:
Et cum omnes Serenissimi fuissent Soles,
Satagebant, quàm maximis syderibus stipari.
Non defuêre alijs Regnantibus illustria ad latus phænomena,
Non defuêre & nostro SIGISMVNDO.
E quorum præcipuis TOMICCIVS Domini sui reuerentiam auxit.
Placuit ibi humanissimo Cæsari de nostratibus mereri,
Indignum arbitranti, Maiestates tantùm honorari,
Non item satellitia Maiestatum lumina.
Proinde prout conditio cuiusque ferebat,
Hos Principum, illos Comitum titulis honestare dignatus est.
Nisi nostrorum libertas his omnibus præposuisset,
Nobilitatem suam.

Actæ optimo Imperatori gratiæ,
Principatuum & Comitatuum insignia non accepta.
Quod crediderint magnifica hæc alijs non sibi nomina.
Satis sibi gloriæ, Poloniæ viuere Nobiles;
Qui pares Septemviris Augustalibus eligere regnaturos possint,
Aut, si patria libertas voluerit, etiam eligi.
Non egere, vt altiùs euolent, quàm Polonæ Aquilæ ferant.
Patritiis & Equestribus Sarmatarum cunabulis nasci,
Satis clara ad orbis notitiam genesis.
Absq; tam magnificis nominum pompis hucusq; se vixisse.
Optima titulorum series,
Si bonorum Patriæ suæ Ciuium nomen meruerint.
Ita tunc cum alijs TOMICCIVS,
Maximilianus animi magnitudinem miratus,
Ab illinc jam colligere cæpit, quid sit Polona Nobilitas.
Indè reducem TOMICCIVM Posnaniæ Infula ornauit,
Minor hostia,
Antequam ad grandiorem à KONARSCIO vocaretur.
Ad quam admotus, officij sui meminisse iterum cæpit.
Multis, quò maior honor lacertos insedit,
Eò grauior humeris impendere videtur moles.
Quasi culminis collatio non ferat columinis vices.
Sed veris Præsulibus
Pedo etiam non grauatur manus in auxilia gregis.
Cũ desidia sustinere Cathedrã, paratũ putant ignauiæ argumẽtũ.
Nihil deniquè non admirandum in TOMICCIO.
Cum summus fuisset, nec minimis defuit.
In magnitudine vultûs & fortunæ, ingentem seruauit comitatẽ.
Quod nosset asperitate verborum & supercilio

Male

Insipientis est, non putare se magnum, nisi multos despiciat.
Stultos tantùm delectat superbiæ suæ longum spectaculum,
Quorum in aspectu toruitas fastidium sui potiùs docet, quã cultũ,
Reuerentiam veriùs conciliat comitas.
Sic siquidem stellæ lucent, sic ipse Sol,
Magnitudinem suam commendat sereno.
Ecclesiasticis prouentibus ita vsus,
Vt minister potiùs videretur, quàm dominus.
Nihil sibi, nihil consanguineis accumulans,
Vt totum cederet Ecclesiæ.
In qua ornanda cum fuisset totus,
Ad ornamentum quoquè sponsæ pertinere credidit,
Iuuentutem institui.
Quam in tres classes diuisam proprio sumptu in studijs aluit,
Quod nosset surculos hos
Magna quandoq; Patriæ fore robora.
Patuitq;, quàm validæ postea classes illæ,
Aduersùs hostium naumachiam.
Quarum remos & carbasa sequi
Non inglorium habuit Polona felicitas.
Deniq; TOMICCII curiam literatorum Academiam diceres.
Ita Mecænas hic Maronum excitauit ingenia,
Vt non feliciùs vnquàm eruditio subsisteret,
Quàm in illius domo.
Quatenus ostenderet cæteris maximisq; virtutibus suis,
Eruditionis amorem non defuisse.
Nec pulchrius aliud impendium quàm in literarũ adminicula.
Ab harum amore, literati æstimantur:
In quos quidquid insumitur, lucrum est.

 Et parentauit postea TOMICCIO Minerua,
Vt magnificentiora parentalia Heroes nostri non habuerint.
Anno Dni. M. D. XXXV. suæ ætatis LXXI.
Vbi tantùm amantissimi literarum Præsulis mors increbuit;
Extraneis statim calamis parentalis indictus honor:
Secutaq; eruditorũ comploratio cum lachrymis panegyres miscentiũ.
Nempe

Simul ac aliquis literatis commendauit ingenium,
Protinùs & famæ nomen suum dedit.
Paratum gloriæ fructum percipit,
Quisquis scholasticorum labores non sinit exarescere.

PETRO TOMICCIO

ODE XLII.

VNum, TOMICCI, cætera distuli,
Laudabo factum. Sumptibus ad scholas
Promota non paruis iuuentus,
A tenerisq; statim probatos
Adducta mores discere, maximi
Ingens theatrum nominis, & super
Altos volaturæ coluros
Ampla satis monumenta famæ.
Sic quippe dignas qui cupit indoles
Habere rerum prouidus, Hercules
Efformat à cunis; ab ipso
Vngue statim Lybicus paratur
Leo; manebit truncus inutilis
Et vile lignum; à principio nisi
Tenella procuretur arbor.
Quoddam, homo quilibet, est metallum,

Quod

Quod ſcalpra tantùm, quod niſi malleos
Poſcit, domari ſi velit, & nouas
In laminas duci, ſuiq;
Vult ſi aliquem generare fructum.
Secus, iuuentæ non habitus labor
Et cura primæ; poſterioribus
Immenſa quàm clades in annis,
Quamuè lues nocitura toti
Omnino vitæ. Vix animal poteſt
Diuiniùs vel viuere rectiùs,
Quàm rectè homo formatus, abſit
Alterius niſi diſciplina
Cultusq; prudens; idem homo bellua eſt,
Quâ crudiores non parit Africa
Getula vel tellus leones,
Non Sybaris temulenta pardos.
Hinc grandis error, culpaq; non leuis
Creſcit Parentum, ſi nimio ſuæ
Amore prolis occupati
In propriis domibus ſedere
Ferunt ſocordem: ſi niſi baſiant
Et ſomnolentam deſidiam fouent,
Vel turpiter mulcent. Nutricum
E gremio fugiat, diſerto
Et ſe docendum tradat Apollini
Muſisq; doctis Sarmaticus puer.
Hîc verò formatus vel aulam,
Vel Themidis ſubeat palæſtram;
Deinde Martis claſſica; nobiles
Bellona vel quò prouocat indoles,
Et ſe pyram vel grandem iniquo
Interitum minitetur hoſti.
Sic Sparta quondam, ſic Lechicæ priùs
Fecere Matres. Non ſterilis domi
Seruata pubes, at futuros
Docta ſitus rigidè eſt in annos.

IOAN-



TEſtitudinem hîc nec ego agam;
Vbi LATALSCII nomenclatura volatum inſinuat.
Pedeſtre is vel ideo exoſus ethymum,
Vt oſtenderet cum magni nominis fama volare ſe, non ſerpere.
Euolaturus ad maxima quæq; , primam ſtationem voluit
SIGISMVNDI I aulam.
Nec mirum; IOANNES erat.
Non plebeium hoc nomen, Aulis pridem innotuit.
Et quidem tanto Principi à ſecretis literis;
Ita tamē, vt nota majoribus indoles occultā famā nō pateretur.
Publicam quippè lucem amant, qui latere neſciunt.
Et intra ſola teneri cubicula, piaculum putant,
Vbi orbi integro innoteſcere poſſunt.

E con-

E conclaui SIGISMVNDI, Senatoriæ Purpuræ ſpem concepit.
Sed quia promptior ad gratias Iupiter, Iunonis exoratus precibus,
Ideò LATALSCIVS SIGISMVNDI conſortem Bonā demerendā ſibi accepit.
Ab huius Reginali arbitrio tunc in Polonia pendebat Fortuna:
Nulluſq; in beneficæ Cereris gratiam venit,
Qui Proſerpinam illam non haberet propitiam.
Feliciore SIGISMVNDO
Ad Poloniæ ſceptra, quàm ad priuatæ Domûs regimen.
Vt qui legionibus imperaret alibi,
Domi haberet dominam, cui ſeruire cogebatur.
Adeò excellentibus ingenijs citiùs defuerit ars;
Quâ vxorem regant, quàm quâ regna gubernent.
Auguſti quodammodo eſſe non poſſunt,
Niſi illis ſuæ imperent Liuiæ.
Accepit in curam LATALSCIVM BONA,
Et apud Maritum Iouem effecit, vt Poſnaniæ ornaretur pedo.
Qui apparuit ſtatim non impar tanto muneri,
Per decennium Poſnaniæ cognitus.
Dignus per omnia majoribus Infulis,
Si ad illas merita haberent aditum, & non pecunia.
Sed Danàén induerat Poloniæ felicitas;
Obtineri non poterat, præterquàm aureo imbre.
Volatilis nimiùm ales Honor,
Capi non eſt paſſus, niſi pecuniario viſco.
Difficilem adeò ad ſe aditum præbuit;
Vt multis priùs pulſādæ fores fuerint, antequàm intromitteret.
Nec tamen intromiſſus quiſquam,
Niſi aureum adhiberet peſſulum.
Surdaſter cùm fuiſſet,
Pretioſo ſolùm metalli tinnitu excitari potuit.

Seu

Seu superbiæ indulsit tantum; vt descendere nollet;
Nisi Competitorum cupiditas sterneret auro gradus.
Ergo à morte TOMICCII vacante Cracouiæ Cathedrâ
Comitium auaritia instituit.
Ab auro petitum LATALSCIO suffragium:
Cùm merita licèt fuissent, tamen non habebant vocem.
Infelicitate illius temporis tantâ;
Vt si non emisset hic, emisset alter:
Quia venales non gratuitæ erant dignitates.
Nimirùm
Frustra in his aliquando aucupantur merita,
Vbi de præda gustare non cuiusuis est aucupis.
Nemo lautiùs subinde ferinam comedit, quàm qui è foro emit.
Et vindicauit LATALSCIVS ēptæ Purpuræ infamiā egregiis facinoribus:
Talem se in Præsuleo munere præstans,
Qualem vltro etiam veniens Purpura accerseret.
Cùm tamen perstrinxit inuidos aliorum oculos,
LATALSCII emptus splendor.
ANDREAS CRITIVS erat, Vir aliàs magnus,
Et in quo eruditio suum habuit principatum.
Sed is offensus LATALSCIO,
Quòd adhuc in Posnaniensis Infulæ obtentu vinceretur;
Carptorijs epigrammatis LATALSCIVM lacessiuit.
Nempè,
Vitium, paruis magnisq; nominibus commune, liuor.
Multi magnitudinem aliorum inuidiosâ speculatione damnant,
Irati non iisdem artibus sibi quoq; ad fortunam patuisse iter.
Et tamen pessimus hic ambitioni litantium error,
Damnare in aliis, quod ipsimet non abnuant.
Verùm magnanimi erat *contemnere Scyllas*

Polita LATALSCII virtus censorio dente,
Quam leuigari ita expediêrat; vt cultior euaderet.
Rarò quippe virtutis semina perueniunt ad frugem
Nisi per iniurias aëris, & hominum inuidiam.
Æmulatio hîc dat intellectum,
Semperq; ad virtutem profuit, vexari.
Erigit aliquando liuor, non deprimit.
Aliàs *non vexata virtus, putatur incognita:*
Vt, & quidquid inter quisquilias iacet, non attingitur.
Sed Persium dum inuidia agit, LATALSCIVS Præsulem
Comem, affabilem, liberalem.
Qui sui cognominis memor,
Ad Gnesnenses quoq; Aquilas nisus est euolare.
Nec parcus in eum Honor, cujus liberalitatē semper nouerat.
Nidum illum LATALSCIO contulit,
In quo dum sola nidificare videtur felicitas,
Nidificari cæpit & mors,
Ex tam honorario nido relinquens bustuarium
Anno Christi M.D.XXXVII ætatis suæ anno LXXVII.

IOANNI LATALSCIO.
ODE XLII.

FEralé monstrum & prædo veneficis
Mors sæua telis sæpiùs hospicam
Exercet iram, spesq; nostras
E propriâ statione pellens
Et vota, nobis non nisi flebilem
Intentat ictum; præda vbi viuimus

 Parata

Parata crudeli Tyrannæ
Cum proprijs peritura rebus.
Quot iam superbæ non fuimus Deæ
Explosa tandem fabula, vitæ vbi
Spe longioris sæpè capti
Erigimus monumenta, & ipsi
Cælo propinquas extruimus domos:
Sed quas Nepotes, vel malè prodigus
Accedat hæres, nos ab ipsis
Ad gelidas remouemur vmbras.
Quot iam probrosæ non dedimus spei
Plenum theatrum, quando superbia
Fastus nosterq;, vel potentem
Marmoreis Babylona muris
Æquare nisus, ferre vel vltima
Quid hora possit, nescius aureas
Neronis æmulatus arces
Et rutilo tabulata texit
Inflatus auro; pensilibus suam
Vel scripsit hortis planitiem, potens
Quos iam Semiramis futuræ
Extulerat documenta famæ:
Vel fune tantùm longa patentibus
Dimensus aulis atria, plurium
Promptasq; collegit secures
Artificum, vacuo frequentes
Daturus ædes è spatio. Interim
Aduersa nostris Parca superuenit
Cum morte votis, & superbus
Quas animi tumor erigebat,

Has illa moles destruit, ædium
Ridetq; vastam flectere machinam
In casum & ingentem ruinam
Hostis atrox: leuiore saltim
Dolore, si istas quas tumor extruit
Fastusq; noster, dirueret domos;
Sed sæpè vel cælo, vel ipsis
Erigimus monumenta Diuis.
Nec destinatas mors sinit ædium
Finire moles: in medio quoq;
Subinde cessamus labore,
Mors hominum quia dura rebus
Votisq; nostris hostis iniquior
Decreta turbat: tectaq; quæ polo
Vicina debebant stetisse,
Sub mediam trahit vsq; terram.
Hem! quanta Gnesnæ quanta Craco Tuus
Parabat ardor, Præsuleo pedo
Illustres & Mitra LATALSCI;
Egregijs minùs æqua ceptis
Sed Parca pulchræ stamina præscidit
Caduca vitæ: nec tulit, vt Tuis
Fortuna responderet ausis,
Vota suum gererentq; cursum.



VEnenum est, pusillis animantibus datum, Liuor.
Mirum tamen,
Quod & Serenissimos animos inuaserit.
Poloniarum Regina BONA
Tam ignobili vitio in Regia sua concessit locum.
Quod vt plebeium est,
Ita è vili angulo prospicere nisi concessum habet.
CHOINIO Præsulum gemmæ offensa, non aliunde,
Nisi quòd de virtute potius quàm de regnatrice fæmina mereri mallet.
Non quod ea bono Senatori superbia,
Vt Reginalem majestatem venerari nollet;
Sed quia adulatione & fædo obsequio in Regiam eluctari oportebat,
Sui memor, mulieris mancipium esse non sustinuit.
Haud ignarus potentis fæminæ amicum à seruo non differre,
Nisi quod seruire debeat gratuito.

A morte

Tàm major quàm minor vacabant signatoriæ Regni Aquilæ.
In SIGISMVNDI arbitrio fuit,
Dare non tam fulminis vt gratiæ ministras alites.
Prout quisq; ambitiosior erat, ad illas luctari non omisit.
Destinabat SIGISMVNDVS CHOINIVM,
Eò quod oculato Principi nota fuisset sufficientia tanti Viri,
In Lituania pro TOMICCIO vices supplentis.
Vt ferè est,
Nihil magis prodest candidato ad sequentes honores,
Quàm peractus optimè Magistratus.
Honor honore petitur:
Vnius bene administrata ratio, alterius occupandi est argumentū.
Sed CHRYSOSTOMVM verita Eudoxia nostra,
CHOINIO aduersari cæpit,
ANDREAM KRITIVM & PETRVM KMITAM ministros nacta,
Summa Reipublicæ nomina,
Sed & inuidiæ non infima subiecta.
Pungebat illustres Viros
CHOINII fortuna & apud SIGISMVNDVM opinio
Vt potè
Magna subinde infelicitas est, magna aliorum fortuna:
Statim in se inuidiam irritat,
Vix aliquis in pulchri nominis venit gloriam.
Beatitudinis iter non initur absq; comitatu liuoris.
Adeòq;
Nemo eorum qui in Republica versantur,
Quos vincit, sed à quibus vincatur, aspicit.
Et multis non tam iucundum est alios post se videre,
Quàm graue aliquem ante se pati.

Decedere sibi existimant,
Si quis non infra illos de Regia abit:
Iniuriamq́; suam putant,
Quidquid alius habet, & ipsi habere potuissent.
Ergo CHOINII locò GAMRATVS substituitur:
Non natalibus, non aliquâ virtute illustris,
Nisi, quia Bonæ placuit.
Nimirum,
Sit vilis; sit inops; sit agresti agrestior vrso;
Si Regum accedet gratia, sydus erit.
Plerumq; videas arbores feliciús alijs maturescere,
Non quod melioris stirpis sint;
Sed quia in montibus vel in decliui positæ,
Pro constitutione loci propitiũ vel non propitiũ solem habent.
Nõ placuerat SIGISMVNDO GAMRATVS quod sciret tãto muneri imparẽ.
Viuæ vocis suæ oraculo asserens,
Rerum vsum habeat necesse,
Quicunq; Regni sigillum administrare voluerit.
Tam molles non sunt hæ ceræ, vt à quouis tractari possint.
Ni sapiat, qui in Republica versatur,
Alijs inutilis est, sibi oneri: tanquam sine pondere ingens moles.
Vtcunq; & è domesticis nõ desint GAMRATO, *tantæ functioni apti,*
Ipsius tamen GAMRATI incapacitas, maximus obex.
Frustra deliguntur Consiliarij idonei,
Si ipse Præfectus inidoneus est.
Perit omnis salubriorum consiliorum liquor,
Nisi aptum velut vas sit, in quod instillet.
Assuta aliorum sapientia,
Et quàm ipsius Domini mens non digessit in suam,
Parùm ab inconsulta stultitia differt.

Cancel-

Cancellarij dignitas eximium virum exigit,
Non quem vna aut altera commendet virtus, sed quem omnes.
Taliter pro CHOINIO contra GAMRATVM SIGISMVNDVS,
Aliter BONA.
Quæ non contenta priores iam dediſſe æmulos,
E terreſtribus quoq; ad Comitia Nuncijs
Turbulentiores quos habere potuit, furoris quæſiuit ſatellites.
Nec defuêre, qui in gratiam Reginalis Maieſtatis
Rempublicam etiam turbare auderent:
Et quidem boni communis prætextu.
Peſſimo omninò exemplo.
Nam periculoſiùs malus eſt, quisquis bonitatis deprauatur ſpecie:
Iniquiùs ſæuit, qui iniquitatis mittit fulmina,
Et ex arce iuſtitiæ ſe tonare profitetur.
Nemo ſceleratior,
Quàm qui vitia collocat ſub earum virtutum bractea,
A quibus potiſſimè illa diuertunt:
Et vbi ſub probitatis nomine rem agit improbitas.
Nihil certiùs CHOINIO fuit, quàm faſces contempſiſſe.
Honorem enim mereri ſummus honor eſt,
Sed qui generoſiùs non accipitur, quàm petitur.
Abſq; faſtigij coloſſo in famæ cælum ſubſilire licet,
Modo virtus ſcabellum porrigat.
Verùm flecti difficilis SIGISMVNDVS,
Non BONÆ precibus, non aliorum inſtantijs motus,
CHOINIVM delegit, quem ſciuit optimum.
Et quidem egregio æmuli ludibrio:
Qui dum ſpei tumidæ plenus, nominâti aſſurgit Mareſchalco,
Deuolutâ in alterum nominatione riſum omnibus mouit.
Ita nihil faciliùs quàm magnæ ſpes decoquuntur.

Exerrat sæpius in voti ludibrium;
Quisquis non virtute, sed tumore honorem quærit.
Facilè euertitur currus, quem intempestiuus ambitus dirigit.
Quotidiana superbi cuiuslibet pæna;
Vt ignis fatuus monstretur, qui se solem arroganter putat:
Et è terra vix caput videatur attollere;
Qui se in cælis positum tumidè credit.
Non licuit Principis gratiam excusare CHOINIO, non ignaro
Abiecti animi esse Fortunam proijcere, inuidiæ metu.
Parùm profectò in sapientiæ profici studijs,
Nisi maledicorum improbitas discatur contemni.
Pulcherrimumq; scire inuidias, & posse spernere.
Publicâ igitur oratione Regalis beneficẽtiæ magnitudinẽ auxit.
Nec gratiarum acceptius genus testari potuit,
Quàm in illo statim momento,
Vbi adulandi nec tempus erat, nec præparatio.
Aucta hinc BONÆ & aliorum majora odia.
Verùm plerumq; signum est magni Viri, aut ad magna nati,
Pati inuidentium linguas.
Non prouocat innocentia aduersantium iras, sed nec valdè timet,
Quas prudenter negligit, quia vulnere cassas.
Scopulus excipit tempestatem, nec cedit;
Odia ingens animus, nec vincitur.
Ad inuidiæ flatum titubant arundines, non ingentia robora.
Solem interdum nebulæ tegunt, non tamen obnubilant.
A muscis & culicibus vexatur subinde equus,
Gressus tamen hic alacriùs glomerat,
Quia incisorum nisi videt proboscides.
Sic stimulos quoq; addit,
Quidquid in remoram se facere putat humana malignitas.

Superſedit nihilominùs & æmulorum deinde inuidia,
Poſtquam caput altiùs virtus erigere cæpit.
Communi hâc bonorum felicitate,
Quia inimicitijs in eos licet aliquid, ſed ſatis modicum.
Halcyonia tandem ſua inueniunt,
Poſtquàm aliquantiſper iactabantur procellis.
Vt venti, ſic & inuidentium iræ laſſæ mitigantur.
Vnde, qui priùs in CHOINIVM fuerant Zoili,
Poſtea facti præcones:
Deuolutâ in Bonam & alios populi inuidiâ.
Adeò nôrint omnes, quid ſit in ſuo amore vulgus.
Ad cuiusuis venti afflatum mutatur:
Vt non immeritò appelles mare,
Quod ventorum patitur imperia.
Ludit cum Zephyro, tumultuatur cum Africo.
Nihil in illo medium,
Aut nimiùm amat, aut nimiùm odit.
Addidit ſtimulum SIGISMVNDO hic populi fauor,
Quia è Plocenſi ad Cracou: Cathedram promouit CHOINIVM,
Qui dum paucis admodum menſibus ſuo ſuperſtes honori
Vitam cum morte mutat,
Ingentem nominis ſui reliquit dolorem,
Horatijq; oraculo addidit fidem:
Virtutem incolumem odimus;
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
Viuere verò non laudari deſijt magnus Pontifex
Anno Dñi. M. D. XXXVIII. ætatis ſuæ LI.

ODE XLIV.

SIc est Poloni: non caret æmulo
Robusta virtus. *Inuidiæ malum*
Hinc inde decurrit, feroxq;
Per patulas dominatur vrbes,
Et pestis instar sæpiùs indoles
Sensusq; nostros inficit impio
Instructa prædatrix veneno,
Et nocuo temulenta tabo.
Nec id dolendum; tam tragicus furor
Si de minori serperet angulo
Domoq;, quam vel vile vulgus
Vel tenues habitant coloni.
Sed sæpè sceptris & diademate
Illustre nomen, sæpè palatia
Magnæq, mentes hoc laborant
Flagitio, dominasq; liuor
Inuisit ædes. Quid potuit suo
Fortuna Bonæ promere de penu,
Quam dum coronati Mariti
Coniugio decorauit, vt sic
Consors Coronæ viueret, & suo
Augusta Iuno cum Ioue Lechicum
Felix gubernaret Trionem,
Cum socio mediamq; Rege
Teneret aulã. Quid CRICIO & KMITÆ
Ad tanta famæ defuit atria,

Quam

Quàm dum hic Mareſchalcali auitas
Fulcit opes baculo ; ille Gneſnæ
Illuſtris in nido ſedet : & tamen
Hos liuor omnes quàm tenuit miſer ,
Quando CHOINII videre
Egregiam nequière famam.
Vix vlla virtus, gloria nobilis
Vix vlla facti eſt ; æmula quam ſtatim
Cenſura non vexet , ſuoq;
Non comedat fremebunda dente
Semperq; mordens inuidia. *Omnibus*
Hæc læna regnat, ſed tamen his magis,
Qui multa poſſedêre : non quòd
Deſit eis aliquid , ſed ægrè
Quòd ferre poſſint, ſi quid in altero
Vident abundi. Qui tamen è viris
Eſt, vt CHOINIVS , maligna
Et minimùm nocitura tela
Contemnit audax. Vt neq prouocat
Liuoris iram ; ſic trepidat neq; ,
Quicunq; vult virtute tantùm
Magnificum retinere nomen.



DE vtraq; fama meritus,
Tantùm adeptus est bonæ, quantùm malæ:
Nisi quod deterioris major perennitas,
Vbi procis nomen suum reliquit.
Vt pote *Admissâ turpitudine, restat flagitij imago;*
Quia marmorea est, multumq; durat.
Virtutis non item, vt omnino fictilem dicas.
Rectè factorum vix aliqua memoria;
Iam prauè si aliquid egeris, æterna.
Minor tamen iactura humanæ famæ, quàm cæli.
Vbi Superis redditus hic Mulciber,
Excusabile, si aliquando in terris claudicauit.
Rectum iter si non tenuit à principio, in fine conatus est.
Idq; laudi tribuendum, scopulos & vada euitasse.

Non damnatur in milite cicatrix, postquàm vulnus est sanatum.

Multis plebeiâ domo prodijsse creditus,
Nobilitatem si non inuenit, fecit.
Absq; vetustis imaginibus, illa esse potest.
In Diuinis summa hæc Patris laus,
Quòd ab alio non procedat, sed tantùm est à se.
Aliàs cum Icaro volat, qui solis ceris nititur.
Phosphorus licet solem præcedat, non tamen ornat.
Absq; præduce tali illustris est Sol.
Frigidum encomium quod ab vnicis marmoribus petitur,
Si sepulchra Maiorum scrutamur, nihil præter cinerem afferent.
Sic majores GAMRATO nulli, posteritas maxima,
Tot nempe honorum series,
Ad quos summa etiam nobilitas euadere aliquando non potest.
Muliebri suffragio Reginæ BONÆ,
Chełmensis primò, Præmysliensis deinde Episcopus,
Ignis instar simul natus, simul lucere cæpit.
Sed dum ad signatorias Regni Aquilas ambitiosiùs festinat,
Et spe & votis eluditur.
Iouis enim armigeræ Aquilæ,
Quas è Iunonis manu, malè aucupetur ambitio.
Ariadnæ est filum tractare, non virorum munera;
Et pulchrum, si cum Stolonis vxore,
Ad quosuis fasces omnis fæmina pauet.
Euicit tamen apud suum Augustum fortiana Liuia,
Quia paulò post Płocensis, tum Cracouiensis Purpura
Oblata GAMRATO.
Adeò; *Oceani est filia, Fortuna,*
Parentis ingenio nunc leniter fluit, nunc fluctuat.
Non cæcam penitùs dixeris, sed monoculam;
Vno oculo cæcutit, altero respicit.
Aliquando arcana cordis negat, aliquando se euiscerat.
Eluctatus in tantum Fortunæ fastigium nouus hic Fortunæ pullus,
Non quieuit nisi & in Gnesnensi nido consisteret.

 Qui

Qui Regni Primas,
ELISABETAM FERDINANDI Romanorum Regis Filiam,
SIGISMVNDO AVGVSTO copulauit, & diademate cinxit;
Rarâ felicitate, vtraq; hæc solennia in vnum deuolui,
Cum in simili olim CASIMIRI cum altera ELISABETHA pompa,
Inter OLESNICIũ & OPOROVIũ lis mota, quiescere aliter nō potuit,
Nisi AVGVSTVM par vnus iungeret, alter vngeret.
Ita liberaliter confert fauores suos Fortuna,
Vbi aliquem semel cæco amore deperire cæpit.
Expectabatur responsura tantæ beatitudini virtus,
At muliebri suffragio euecta indoles, mascula esse nescijt.
Bacchi & Veneris studiosior,
Ex insolentiũ Numinũ suasu, ludiones nisi, & sycophātas tenuit.
Secutusq; hinc statim multorum sensus,
Exulasse iam à GAMRATO virtutem,
Vbi vitijs regnare concessum:
Et negatum modestiæ locum, insolentiâ fasces tenente.
Alterum nempè virtutis patrimonium est Honestus Rumor.
Difficilis reparatu, vbi semel amittitur.
Sed tamen non semper clausa est & virtutibus Domus;
Quoties vitiis patet.
In medio etiam defectuum theatro, suam subinde habet scenam.
Nam vt prodigus in luxum GAMRATVS,
Ita in egenos liberalis,
Singulis diebus centum pauperes apud se lautiùs habuit.
Domestici hi cælestis Principis fuerant,
Quos paulatim demeritus,
Per eosdem ad illam Regiam sibi aditum parauit.
Nullius quippè apud DEVM maior familiaritas, quàm pauperum.
Securissimus Cæli gratia pollet, qui hos sibi deuincit.
Per istorum Placentiam
Ad superius illud Beneuentum pergitur.

Ergo

Ergo Eleemoſynariū Præſulē iter facere quoties contigit,
Diſcedentē duo currus ſequebantur onuſti lineis & laneis:
Aut ſi bruma rigeret, ex ouina pelle conſutis veſtibus.
Et hoc erat armare Milites,
Qui arietibus illis non tam hyemem,
Quàm Cælum in GAMRATI nomen expugnarent.
Mendicos iſtius ſæculi militiam Chriſti ratus,
Sub papilionibus hujusmodi eos ſeruauit.
In Cæleſte Capitolium aliquando ingreſſurus,
Illos currus aptabat in triumphales.
Infulatus Phäéton cum vitæ curriculum inſolenter aliàs ageret,
Hîc meliorem parabat tramitem.
Nec fefellit cælorum gratia per pauperes quæſita.
Quid familiariores illi potuêre, apparuit.
Cum enim fatiſceret jam annis GAMRATVS,
Vitia tamen vbi manumittere deberet, tenuit.
Vt potè
Profundior horum radix, quàm vt ſtatim euellantur.
Virtus ſuffocatur adhuc in cunis,
Vitium vbi ſemel natum eſt, vt plurimum ad cánitiem peruenit.
Quare à familiariore olim ſibi CVROSSIO
Diuinitùs admonitus, reſipuit.
Qui CVROSSIVS,
Dum in vitiorum ſchola GAMRATVS Theopompū ageret,
Non Ephorus & ipſe:
Quia ſemel MARIÆ miles fuerat,
A palmari Camilla ſtipendium accepit, animæ ſuæ ſalutem.
Conceſſa & GAMRATO ſex menſium ſpatia,
Magno beneficentiæ Diuinæ in homines teſtimonio,
Quod ſaluare velit, quos perimere poſſit:

Et


 Et ex dispendio naturæ, paret compendium gratiæ.
Et impendit GAMRATVS residuũ vitæ tempus, pænitentiæ,
Quâ iratiores sibi cælos molliret;
Crebroq; gemitu velut ariete perrumperet.
Priores noxas continuò defleuit, nempè PETRVS.
Vnde quidquid ex lethali cæno contraxit maculæ,
Fusis tàm vbertim lachrymis diluit.
Quas naufragium esse culparum voluit, non balneum.
Inter crebros planctus cum optima salutis spe moriens,
Arcano illi fecit fidem;
Quod naturale lachrymarum est in pænitente miraculum.
In terram cadere videntur, relabuntur interea in cælum.
Vt Sol terræ vapores suo calore tepefactos sursum euehit,
Sic contritorum lachrymas DEVS ad se eleuat.
Plausit interim GAMRATVS monitorem CVROSSIVM secutus,
Quod nouus Theseus à Pirithoo suo
Non ampliùs ad orcum duceretur, sed ad Cælum;
Anno Saluatoiis Nostri CIↃ. IↃ. XLV.

PETRO GAMRAT.
ODE XLV.

Nil est; honestæ, si immemores viæ
Quandoq; recto à tramite deuij
Vagamur, abreptiq; longo
Per dubios trahimur recessus
Errore. Nil; si perdimus aleam
Subinde belli; lassaq; Martiam
Fortuna subducit coronam;
Nil quod & ipsa aliquando virtus

Diuer-

Diuertit à se, si reparat viam
Deceptus erro; dimicat acriùs
Post victa si miles duella;
De vitiis quoq; si triumphat
Erecta virtus; hæc reparabilis
Iactura adhuc est. Si cecidit semel
Entellus eludente gressu; at
Arma breuì, rabidamq; sæuus
Instaurat iram: nec, Phrygios videns
Ex se cachinnos, sustinet arduum
Instare cum ictibus Dareta,
Sed validis tumidum lacertis
Maiore cæstu deijcit æmulum.
Errando plures discimus; & magìs
Intensa virtus, ad priores
Quæ potuit redijsse vires.
GAMRATE scimus quàm tibi sat diu
Neglecta virtus; scimus vt Infulæ
Non magna cura muneriśq;
Præsulei; sed & ista scimus
Seri nepotes, quod tamen vltima
Transacta vitæ rectiùs alteram
Egêre scenam: quod priorum
Vberibus lachrymis fugâsti
Absurda morum: nataq; non leuis
De pænitenti pectore fletuum
Procella tandem extinxit omnem.
Qui è vitiis fuit ortus, ignem.
Nos verò quantùm decipimur modò,
Sub pænitentûm nomine dum graues
Deflere credimur reatus;
Interea malè pænitentes
Nunquam dolemus seriò, & ex vagis
Quæcunq; manat lachryma palpebris;
Dicenda balneare nostras,
Non penitùs tumulare culpas.



ADeò abſque prodigio non eſt,
Quoties SAMVELEM naſci contigit.
Necdum in lucem effuſo MACIEIOVIO Parens in ſomnis monitus,
Vt naſciturum filium SAMVELIS inſigniret nomine:
Prouidentibus tempeſtiuè fatis,
Vt nato ad Infulā, notum quoq; ab Infula imponeretur nomē.
Ineſt magnis nominibus quædam hæreditas ominum,
Quia ex appellatione ſtatim patet, quorſum cum iis Fortuna tendat.
Non hominibus tantùm, ſed & nominibus fata militant.
Adeoq; quò pulchriora ſunt hæc,
Eò magis adimplendis officijs vectigalia.
Iniuriam faciunt, ſi plus ſignificant, quam teſtentur facta.
Extinguuntur, niſi illuſtrium operum ſubiiciant materiam.
Quod ergo SAMVELIS erat, ad templum & aras ſe contulit.
Culmenſis primò,
Inde Cancellarius Regni & Cracouienſis Antiſtes

Ita

Ita calamum tenuit, vt vanitatis non raperetur turbine.
Tam dextrè Sigillum Regni paginæ appressit,
Vt ex signatoria cerâ miseris mella exprimeret.
Cum vbiq; vocalẽ virtutem haberet, meritò factus os Poloniæ.
Ad Regni Aquilas, gentilitium adducens Bouem,
Ezechieliani spectaculi approbauit veritatem,
Vbi facies Bouis & facies Aquilæ pariter apparuerunt.
Secreti, & eorum quæ in Repub: agerentur, tenacissimus.
Quòd nôsset bono Senatori, ad consilium cum ingreditur,
Induendum esse Mercurium,
Cum egreditur, Harpocratem.
Eloquentiæ prodigium, audientium spectaculum,
Vt nec illa nisi MACIEIOVII ore loqui vellet, ita nec hi aliũ audire.
Hoc effecit eloquio suo,
Vt peregrinæ alibi, apud ipsum domesticæ viderentur Musæ.
Non ad Principes tantùm Orator, sed etiam & pro Principibus.
Ab obitu namq; SIGISMVNDI I mæsta incesserat Polonia,
Lugubribus induta, vbi extinctam haberet Serenitatem.
Occupauerat subditorum corda dolor,
Sed maximè superstitis BONÆ & Filiarum;
Quæ Domini olim sui pæne Domina,
Iam defuncto Marito, per quem imperaret, non habuit.
Non exempta est malis humanis & Purpura,
Iisdem, quibus & nos, vicissitudinibus subiacet,
Sæuit in illam non natura tantum, sed subinde & Fortuna,
Quasi repetere statim velit, quidquid concesserat aliquando.
Tragicum id omnino BONÆ.
Nihil enim grauius, quàm nuperæ sortis recordatio,
Satius Fortunam nunquàm nôsse, quàm illius postea sinu excuti.
Restabat AVGVSTVS Filius,
Sed & hic timebatur, ne eum Majestas mutaret:
Quid ergo?
 Pupillo

Pupillo ſic Regio ſanguini nihil promptius,
Quàm ſtupor & ſilentium.
Idioma hoc nôrunt dolentes animi,
Quibus non aliud eloquium, quàm ſuſpiria.
Vocaliùs non loquuntur, niſi dum ſilent.
Accepit viduæ Maieſtatis curam MACIEIOVIVS,
Pro Bona & omni Regio ſanguine locutus ad AVGVSTVM.
Non communi felicitate, quòd equeſtris ſanguinis homo,
Sereniſſimis etiam poſſet opitulari.
Qui dum ita diſertè pro deſertis perorat,
Sibi ad AVGVSTI Filij cor fecit aditum.
Adeo Fortunæ in cenſum datur, quidquid in Regij ſanguinis fit gratiam.
Sereniſſimus non eſt, niſi etiam in fortunæ obſcuro luceat.
Acta deinde funebria SIGISMVNDO,
In quibus SIGISMVNDI laudator MACIEIOVIVS,
Sarmatici Traiani ſacratior Plinius.
Et buſta Principum clariora ſunt, vbi illuſtrem habent Oratorem.
Auguſtisq; animis cum nihil in vita defuerit,
Multum intereſt, poſt mortem etiam habere, vnde effulgeant.
Coloribus ſuis imagines hæ indigent;
Accedit non leue ad famam momentum,
Si non ab aliquo Tireſia, ſed ab Apelle adumbrantur.
Nec pulchriùs vnquam in throno illuxit SIGISMVNDVS,
Quàm dum in tumulo præconē nactus MACIEIOVIVM.
Iuſta tunc optimè ſibi peracta exiſtimans,
Vbi tanti Præſulis habuit Elogia.
Non cuiuſuis aliàs Regnantis eſt, laudatorē habere SAMVELEM.
Timendum hoc Regibus nomen,
Et à quo Philippicas citiùs habuit Saul, quàm Panegyres.
Parentalibus peractis, ortæ in Auguſtum querelæ,
Aliter ſedari non potuerunt, niſi MACIEIOVII ope.
Delegerat enim in thori ſociam Auguſtus BARBARAM RADZIVILIAM
Magni

Magni ſanguinis Nurum,
Qui tamen infra tanti connubii æqualitatem Polonis videbatur.
Non placuit Ciuibus, quæ Principi præcipuè placuit.
Maximè, quod tacitè nimis accenſæ illæ tædæ,
Et hæc Alcmena timebatur, ne grauior exiſteret Polonis,
Vbi popularem ſortem egreſſa, penes ſuum ſediſſet Iouem.
Vſu enim cognitum eſt,
Altiùs quàm par, euectam felicitatem, vt plurimum reddi faſtuoſam.
Atq; acrior in matrimonium hoc cum Dirgouio KMITA:
Vnicus MACIEIOVIVS non tam BARBARæ; quàm Auguſti ſtudio,
Sacramenti maiorem memoriam haberi ſuaſit, quàm Maieſtatis.
Laudari quidem factum non poſſe dicens ferendum tamen.
Maximè, quia vix aliqua Ciuibus à dominante ſperanda fides,
Quam vxori etiam frangere liceret.
Principis eſt affectus quoq; ſuos Reipublicæ dare,
Sed tamen & Reipublicæ, in gratiam Principis aliquid cedere.
In libero Regno dominantibus abſurdum eſt,
Et omnia licita habere, & nihil.
Flexit paulatim Polonorum animos MACIEIOVIVS,
Coronata BARBARA,
Sed ſuæ felicitati non diu ſuperuiuens, è throno tumulũ ſubijt.
Documentum poſteris
Fortunæ bona euineſcere, cum maximè denſari putantur.
Nullus in cothurnatæ poteſtatis culmine diu ſtare permiſſus:
Aut nutat, aut cadit in apicis lubrico.
Omnia celſa procliuia ſunt ad lapſum, ardua ad aſcenſum;
Humilia minùs periclitantur.
Integris Olympiadibus quæritur felicitas, quæ momento pereat.
Mota tandem in ipſum MACIEIOVIVM procella,
Ægrè ferentibus Ciuibus,
Ab vno Cracouienſes Aras, & Regni ceras teneri;
Quaſi plus nimio ſaginaretur hic Vitellius.
Par vtriq; muneri SAMVEL,
Sed SAMVEL non fuiſſet, niſi populi querelas ſubijſſet.
Domeſticus Taurus cuiuis ſuffeciſſet muneri,


At cum major inuidiæ accederet ſarcina,
Non tam oneris, quàm liuoris mole grauatus,
In Petricouienſibus Comitijs Cancellariatu ſe exauctorans,
Sigillum reſtituit non honorem.
Capax cuiusuis officii animus etiam ſine Magiſtratu illuſtris eſt.
Indoles monſtrat Virum, non Faſces.
Satis clarus MACIEIOVIVS à Cracouienſi Infula,
Licèt ſignatorijs ceris ampliùs emicare non permiſſus.
Vbi mors cum rigidioribus mandatis venit,
Etiam Infulam bonus Pontifex depoſuit
Anno in mortali Carne poſiti DEI. M. D. L. ætatis ſuæ LII.

SAMVELI MACIEIOVIO.
ODE XLVI.

ANtiqua quorſùm ſomnia poſteris
Narramus annis, quòd faciles ſtatim
Venêre Muſæ, & delicatè
Semper iis habuere cunas,
Per literarum creſcere gloriam
Si quos volebant: quod volucres apes
In ore Platonis ſtetêre, ac
Eloquij poſuêre mella:
Te MACIEIOVI veriùs oſculo
Dignata Pallas, Te potiùs ſuo
Dignata complexu Minerua,
Ad lachrymas vbi vagientis
Attenta ſemper iunxit amoribus
Pudica caſtis baſia, debitum &
Subinde perſuaſura ſomnum
Dulcicano recreauit ore.
Addictiorum Caſtalidum chorus
Adhuc puellum Te melioribus

Incendit ausis. dum Thalia
Purpureo verecunda vultu,
Dum docta Clio prima sodalium
Non tarda sacram se comitem Tibi
Indulsit, infantisq; paruos
Obsequijs cumulare magnis
Ambiuit artus. Castaliæ lauans
Crinem fluentis atq; humeros, Tuos
Descendit ad sinus Apollo,
Inq; suum volitâsse Cynthum
Subinde tecum visus, & aureæ
Dedisse labris vincula tæniæ,
Et de peroranti labello
Coccineam posuisse vittam.
Ibit futuris gloria sæculis,
Orbiq; tradet, quæ MACIEIOVII
Est suada dicentis, Senatûs
Dum Lechici toties Pericles
Nunquàm es locutus, ni Tibi sterneret
Se fama pronam, ni populus nouam
Stuperet ad formam loquentis
Attonitusq; paueret hostis.
Iam verò nôrint, quid valeat boni
Loquela Ciuis. Sæpiùs aspero
Præstat Gradiuo, qui erudito
Ore tonat, docilemq; linguam
In verba promit tanquam in aheneam
Ferri procellam. Non acies tenet
Ex hoste palmam sola, sæpè &
Rostra suam meruêre palmam.

ANDRE-



ZBignei pæne æmulus delictis parcere nesciuit,
Vt Raduanum statim colligeres,
Cui gentilitium vexillum palmare labarum contra vitia.
Est & cum his militare negotium,
Quia non tam tenuis ceruicis sunt; vt vno ictu præcidantur.
Fatigetur vtcunq; ingenium humanum;
Vix ferre impetum poterit tam magno furore venientium.

STANISLAVS ORICHOVIVS

Nō Polonis tantùm sed & exteris illustre ab eruditione nomē,
Prima bellorum occasio.
Qui quantū doctrinâ eminuit, tantū & audaciâ excellere volēs,
Sacerdos jam, vxorem duxit:
Quasi Apollo esse non potuisset absq; Daphnide.

Et

Et ſatis non habuerit Palladium poſſediſſe;
Niſi in Troiam adhuc arſiſſet & Helenen.
Animaduerſum eſt in tantum nefas à IOANNE DZIADVSCIO
Præmyslienſi Antiſtite,
Sed cùm reo homini exceſſiſſe modum medicina videretur,
Et plùs remedio laboratum, quàm vulneribus,
Excuſſâ Pontificum authoritate, Ciuium auxilia implorauit.
Nullus ſceleſtus patronum non habet.
Imò vitijs conſtructæ ſunt aræ.
Non deeſt peioribus Mecænas, cùm melioribus deſit ſæpiùs.
Magna nomina oppoſuêre ſe pro ORICHOVIO,
Et cum illis Equeſter Ordo.
Sed extulit ſignum ZEBRZYDOVIVS,
Boniq; exempli ac doctrinæ armis pugnauit.
Illud tamen inprimis tentandum monendi genus ratus,
Quo reus non ita lædi poſſet, vt emendari.
Clementiùs cum ORICHOVIO agendum ſuaſit,
Quòd noſſet *artem corrigendi non ſemper ſeueritatem eſſe,*
Aliquando & beneuolentiam.
Domatur equus ſubinde poppyſmo, qui flagellis inſultaret.
Boni iudicis eſt malorum pænitentiam malle, quàm pænam.
Res optima non ſceleſtos extirpare, ſed ſcelera.
Nec enim à laniena differt nimium antidotum.
Agente tam clementer ZEBRZYDOVIO,
Data ORICHOVIO venia,
Qui anathemate ſolutus, boni Pontificis adorauit clementiã.
Verùm breuì mota aliundè caſtra,
Aduerſùs quæ primipilus iterum ZEBRZYDOVIVS,
ANDREAS non eſſet, niſi viriliter ageret.
NICOLAVS OLESNICIVS

Tacitè primò Zuinglianas secutus partes,
Pulsis deinde Presbyteris Catholicis, quis esset, ostendit.
Furtiua non sunt delicta, prae oculis eunt.
Vtcunq; cineribus sopiantur; facillimè tamen scintillant.
Mouit hæc iniquitas Episcopos,
Quia publicè consurrectum in tantam insolentiam.
Aliàs, *qui malos sustinet, non clemens est, sed ignauus.*
Nimia Iudicum clementia, dementia est reorum.
Data ZEBRZYDOVIO prouincia, vt omniū nomine diceret,
Qui aduersus nouum ANTONIVM paratus Cicero,
Acriùs, vt par erat, detonuit:
Majestatem etiam tantæ licentiæ, quam impunè mitteret,
Ream publicè condemnauit.
Regnantium culpam asserens, si, cùm punire possunt, negligunt.
Bonis cupit nocere, qui parcit malis.
Vox Principis si non armatur pro virtute,
Iam vitiorum suscepit patrocinium.
Sceptris imputandum, si subditorum malitia assumit vires.
Taliter dicentem ZEBRZYDOVIVM secuti alij,
Et ex sæculari ordine TARNOVIVS,
Qui scelera tàm diu regnatura existimans,
Quàm diu scelesti non extinguerentur,
Rigidiùs in sectarium decreuit.
At exorari in virtutis perniciem quàm facilis est bonitas.
Suscepit OLESNICII partes DEMBINIVS,
Nec, quid in illo excusaret, habuit; nisi nataliū splendorem:
Acsi magnus sanguis debuerit esse scelerum baptismus,
Et reatuum ablutio;
Peccantiumq; claritate excusentur omninò culpæ.
Cùm tamen *perierunt omnia,*

Vbi quidquid insolentia suadet, excusat nobilitas.
Quò magis plebeia vitiositas est, eò minùs claram stirpem decet.
Stetit nihilominùs AVGVSTVS inter clementiã & rigorẽ medius,
Sacris peregrinis abstinere & STANCARVM ablegare
OLESNICIVM jussit.
Sed ah! *nunquam bona fide vitia mansuescunt,*
Raró illa manumittimus,
Et scelera sceleribus commutantur frequentiùs,
Remoto STANCARO successit CROVICIVS
Zuinglianarum itidem partium,
Quo authore in multas alias Familias prorepsit hæc enormitas.
Cum magno nempe fœnore redeunt vitia:
Cessare aliquando possunt, nunquam deesse.
In hæreseos maximè cursu;
Vbi paruus in principio error ad singula momẽta maior excrescit.
Non obtinebis vt desinat, si illum incipere permiseris:
Tam in scintillâ, quàm in incendio ignis est.
Spreta potestas Pontificum,
Vt pauci admodũ fuerint, qui Areopago illi submitti vellent.
Iterùm ergò fulminator ZEBRZYDOVIVS,
Nimirùm *Pontifex, qui verè Pontifex est,*
Scit esse acerrimus; quoties monendum:
Benignissimus, quoties parcendum.
Et id perpetuum optimi Antistitis testimonium.
Qui cùm sic tonaret, attonitum reddidit Augustum,
Numinis enim iniuriam ostendit,
Dum per Regem insolentiæ liceret tam multùm.
Pessimè agi cum Polonia, dum tanta credentium varietas,
Nec enim non parata paralysis Regnorũ, diuersitas sectarum.
Meretrix non est Religio, & ideo nec omnibus prostibulum.

 Contemptu huius, contemnitur & DEVS,
Quo non propitio, perit Regnorum felicitas.
Addidit ad hæc ZEBRZYDOVIVS & se & Pontifice digna,
Alterno fædere Religio à Principibus,
Principes à Religione seruantur.
Ignauiæ Monarcha arguitur,
Si vni fortunæ Regnorum militat, non itidem DEO.
Gloriosius nihil est Principibus,
Quàm si simul se Principes meminerint, simul Apostolos.
Profuit sic tonuisse.
Fulmen cecidit vnius periculo,
Plurimorum metu.
Confirmata legibus ab Augusto Præsulum potestas:
ZEBRZYDOVIVS interim tot palmarijs illustris,
Brauium expectauit,
Quod anno Dñi M.D.LX. adeptus XXIII. Maij.
Ipso ascendentis Christi die,
Honorem hunc parantibus ZEBRZYDOVIO fatis
Vt notus in Insula heros nonnisi cum triumphante Christ
Cælum pro Capitolio ascenderet:
Triumphi sui vix solenniorem habiturus pompam,
Quam, vno eodemq; quo & DEVS HOMO apparatu.


ANDREÆ ZEBRZYDOVIO.
ODE XLVII.

PRoh! quando tandem bellua tam feras
Componet iras? quando nefarijs
Bellis vacabit, ac in vnum
Membra sinet malè vulsa demùm

Coire

Coire corpus? Sæcula tristibus
Signamus annis pænè, nec vnicum
Est forte tempus, quo feroces
Non crepitent noua bella conchæ;
Et tela frendens non vibret Hæresis.
Dum non Arij sat fuit impias
Arsisse flammas, non minaces
Pelagij tonuisse nimbos,
Non illa demum monstra venefici
Prodisse vasto littore Tænari
Et bella circumquaq; sparso
Ac acies maduisse ferro:
Hos æmulari ni quoq; Zuinglius
Auderet effrons, & Phaëtontei
Adinstar ignis vniuerso
Exitium properaret Orbi.
O! quot petita est, nec cecidit tamen
Tot sæculorum, Lerna securibus,
Audaxq; quot lassauit Hydra
Herculeus validos lacertis,
Dum semper ictus, semper aheneos
Ceruice tractus excipit; & tamen
Semper renascitur, suúq;
Tota vorat prope Regna technis.
Sed tanta tandem tristibus ingemet
Leæna nimbis: Iam video impiger
Vt miles excurrit, grauiq;
Egregium gerit ore Martem.

Si signa profert, si rabidas ferox
Attollit iras hæresis, obuiàm
It ZEBRZYDOVIUS nouiũq;
Opponit & hic sua signa signis.
Auditis? vt iam classica bellica
Vtrinq; surgunt; armaq; feruidis
Non vana discursant duellis,
Et valido satis hinc & inde
Pugnatur æstu. Sed ZEBRYDOVIUS
Palmare signum vix dedit, illicò
Minor supercilij recedit,
Et tumidas premit Hydra cristas:
Minorq; turba est, quæ malè Zuinglij
Secuta partes; Præsuleis vbi
Coacta legibus subesse
Composuit malesana nuper
Quas orsa rixas. Sic validi vices
Plerumq; supplet scipio fulminis;
Sic sæpè Præsulum Tiara
Bella gerit, quotiesq; tantùm
In perduelles detonat indoles
Censore lingua; pro galea Infulam
Agnoscit Hæresis, suumq;
Semper ab hac habet illa fatum.



DIgnus Cracouienſis Cathedræ faſtigio,
Niſi quia cenſorio aliquorum calculo ad faſtum pronior.
Quaſi pro magnitudine Fortunæ male reſpondeat magnificẽtia
Et ſuperbiæ notetur pompa,
Cui auctior ſuffragatur felicitas.
Sed *infirmi animi eſt pati non poſſe diuitias.*
Si magnus, qui fictilibus ſic vtitur, quemadmodum argento;
Sanè non minor,
Qui ſic argento vtitur, quemadmodum fictilibus.
Nec enim ſemper tumoris argumentum eſt,
Quæſita in externo apparatu maieſtas.
Plerumq; ſupellex eſt ſuperba;
Cum domino illius nihil ſit humilius.
In vili etiam gauſape tantum tumet paupertas,

Quan-

Adeoq; scelus non est superbire Senatori,
Dum copiam suppeditat Polonia.
In sole non damnatur vnquam splendor, nec in Seueriæ Duce.
Ecclesiæ potuit pompam hanc facere PADNIEVIVS,
Non suo fastui:
Destructo præsertim sæculo,
Vbi Apostolica paupertas non in tanto, in quanto olim pretio;
Et PETRI lacinia vilesceret,
Si Purpuram non superinduerct.
Quis scit, an non Hæresi altiùs tunc cristas erigenti
Majestas hæc opposita?
Desperatâ aliàs & sui & Ecclesiæ reuerentiâ,
Nisi per eiusmodi quæreretur pompam.
Non nocet apparentia, vbi externum splendorem pietas superat.
Mors tamen ostendit,
Quis in viuis fuisset PADNIEVIVS.
Vbi extincto, lachrymis nõnisi parentare voluit multorũ dolor.
Et præfica fama
Non tã sepultis cineribus, quàm posterorũ inscripsit memoriæ.
PADNIEVI vrna Tuo satis hæc pro corpore magna,
Virtus Mausolea supra est omnesq; colossos.
Tumulatus verò. Anno Dñi. M. D. LXXII.

PHILIPPO PADNIEVIO.
ODE XLVIII.


VTcunq; fastûs insoliti, nouæ
Pompæq; scribat Te calamus reum
PHILIPPE PADNIEVI: superbi
Non subitò tamen argueris

A me

A me furoris. Non ego diuitum
Accuso pompam, sufficiens quibus
Fortuna pro pompa est; at illos
Perpetuis agitabo telis,
Qui plus videri quotidie ambiunt,
Quàm vel supellex, ferre domestica
Fortuna vel possit, relictæ
Aût ab Auis Abauisq; gazæ.
O! quotus & nunc quisq; tumens suas
Non iactat arcas, quotus in effluo
Splendore non Thraso superbit,
Vectus equo, cui vel tapetes
Picti, vel ostrum magnificè tegunt
Sublime corpus, pectore splendidè
Pendetq; demissum monile,
Freniuoroq; rotatur aurum
Sub dente flauum. Quotus inutilem
Post se cateruam non trahit arrogans
Stultè ministrorum, grauiq;
Sæpe supercilio seuera
Ad iussa cogit. Turpiter interim
Se scena pandit, dum negat obsequi
Collecta seruorum caterua,
Vtpote per varias molestis
Quæsita curis hîc & ibi domos,
Et ille tanto qui tumuit modò
Pomposus auro, scenicum se
Pæne videt dominum, stupetq;

Ex se dolendum crescere fabulam
Hic dum caballum commemorat suo
Fulgere non auro, quadrigas
E stabulis aliunde dicit
Hic mutuatas: alterius canit
Is esse vestes, exprobrat ad latus
Ille ille crudelis mucronem,
Hic phaleras, pharetram ille & arcũ.
Corniculam vt non turpiùs aduenæ
Nudent volucres, dum repetit suum
Quæuis ab hac ales colorem,
Dum proprias recipitq; plumas.
Et illa demum reddere quod suum est
Coacta cuiuis, se videt omnium
Pauperrimam, dolensq; damnat
Hanc se aliquando periisse pompam.
Nec tollit vnquam scena superbiam
Tam dura grandem; quærit iniquiùs
Non vnus vxorem frequenter,
Quando alibi misere petito
Cultu tumescens, nescio quas procus
Non spondet arces; mox vbi credula
Consentit in nexum virago,
Seq; suo sociat Marito,
Tunc sæua primò pauperies patet,
Tunc ficta demum copia noscitur,
Tunc nupta pro arcibus mapales
Ingreditur miseranda caulas.

Tam grandis error quin tumidæ quoq;
Est sæpe Matris, quæ Generum sibi
Si quando destinat, procantem ad
Innumeros onerare sumptus
Crudelis audet. quando chorostates
Et quando seruos plus nimio exigit,
Si Filiæ velit probari
Deq; noua meruisse sponsa.
Et Mater haud scit, quòd Iuuenis miser
Dotis futuræ spe nisi percitus
Oppignorat villas paternas,
Seq; nouo insinuando fastu
Sic pene perdit; dum ad miseram domum,
Ad orba primis horrea frugibus
Ducenda sponsa, proq; dote
Assiduam paritura litem est.
Eheu! monebo, propria quemlibet
Fortuna ducat. Diuitias malè,
Quas non habes, iactas: tumere,
Quàm proprium patiatur aurum,
Immanis error. Quilibet, vt sua
Suadet supellex, se gerat; & nihil
Attentet vltra, quàm paterni
Quod faciunt perhibentq; census.



COnſpiraſſe videtur in KRASINIVM natalis felicitas,
Poſtquam & in gentilitiis decoribus nihil tenet,
Vnde ad maxima quæq; viam non habeat.
Coruum & Soleam;
Quatenus ad ãplioris ſortis auctuaria excurrere vel uolare poſſit.
ANNVLVM & CRVCEM,
Vt ille Regni annulo, hæc Pontificio ſtatui præludat.
Sic *ſemel propitia alicui Fortuna,*
Vel in cunis adhuc faſtigio initiat,
Cui quærendo ætatem conſumunt alij.
Quanquam meritis hæc omnia conſecutus KRASINIVS,
Non ſanguinis priuilegio.
Sciens adſcititia eſſe, quæ ab Auis petuntur,
Et

Minimum ad fastigia suffragium,
Quod ab Auorum claritate manat;
Maximum, quod à virtutum splendore.
Reipublicæ negotijs admotus allaborauit,
Vt non tantùm bonus Vir esset, sed & bonus Ciuis.
Solitaria namq; vix iuuat bonitas, nisi in publicum prodeat:
Multum interest, de Patria Consul mereare, vel Ciuis;
Dux vel gregarius miles.
Regni Procancellarius
SIGISMVNDO AVGVSTO non os tantùm,
Sed & dextra fuit.
Vt in multis alijs, ita in Lituaniæ cum Polonia vnione.
Diu gemma hæc desiderabatur Coronæ Nostræ
Et VLADISLAO quidem Iageloni Sceptrum dedimus,
Quatenus vno nexu & VLADISLAVS cum HEDVIGE,
Et Polonia cum Lituania coijssent.
Sed tamen affinia potiùs videbantur dominia,
Quàm vnum corpus.
Memore nimiùm nominis sui Lituaniâ,
Ne strictiùs nobis fæderata abiret tota in Poloniam.
Adeò *originis suæ amor quemuis tenet.*
Non tantùm qui, sed & vnde simus,
Libenter meminit ambitio nostra.
Ideo suos hæc Principes habuit, Iagelonico sãguini hæreditaria.
Qui dum in Augusto extingui videtur,
Ne morte hæredis relinqueretur pupilla,
Seriò nobiscum voluit vniri.
Totus in vnione hac AVGVSTVS,
Non nescius terribiliorem magis hostibus,

Et Moſchuæ maximè Lituaniam,
Vbi Polonæ Aquilæ armarctur fulminibus.
Neq; indecorum Poloniæ, tanto Ducatui coniungi,
Cujus auitus Eques elatâ in ictum manu
Tempeſtiuè oſtenderet, quantum ſit ad bella momentum:
Kijouia, Volhynia, Podlachia, ſolùm obſtabant,
Quas ampliſſimas Prouincias, vt olim ſuas,
Ingenti contentione dum Polonia repetit,
Lituania ne earum poſſeſſione detrudatur,
Non minore obſtat ſtudio.
Inter tot diſcordantiũ ſententias difficiliùs coalitura vnio credebatur
Vnde magnis Viris opera hæc indiguit.
Quorum Princeps KRASINIVS vt publicus Regni Officialis
Inter vtraſq; gentes ita tranſegit,
Vt Polonia Prouincias ſuas reciperet.
Inter Lituanos & Polonos conuentum,
Vt regnaturũ concordibus nobiſcum ſuffragijs abhinc eligerẽt.
Secutus Pæan perfecti tam baſilicè negotij,
Quod multorum capita exercuit.
Et penes KRASINIVM manſit gloria,
Quòd illius præcipuè ingenio
Confectus tandem duorum ſæculorum labor.
Diſcere tunc temporis potuerunt omnes
Multa quæ naturâ impedita ſunt, conſilium expedire.
In prudentiq; Viro
Togam plus efficere, quàm in alijs ſagum.
Abſq; Macedonio ferro maximos etiam nodos enodari poſſe,
Si ingenij acceſſerit acumen.
Non potuit tanta virtus eſſe abſq; præmio,
Apud illum præſertim Principem

Qui

Qui ignominiã ſuam credidit, ſi quid miniſtris defuiſſet.
Et frigeſcere omne merendi ſtudium ratus,
Si emerita indoles ad Regalem non incaleſceret beneuolentiã.
Ideo languentis iam pene Auguſti fauore
Defuncto PADNIEVIO ad Cracou: Cathedram ſubſtituitur.
Eò majore Principis elogio,
Quòd tunc temporis Regalem exhiberet munificentiam,
Quando fato ſuo approximans maieſtas
Regratificantis miniſtri obſequio ampliùs non indiguit.
Aliàs in multis, benefactoribus ſub donãtiũ larua latet fænerator animus
Dum beneficium vocant, quod intentione eſt vſura.
Dum largientium donationem appellant,
Quæ frequentiùs vendentium eſt quæſtuatio,
Quanquã & KRASINIVS non in eo tantum reddidit beneficium,
Quia libenter debuit.
Sed æternitati approximantẽ Auguſtũ ſanctiore refecit obſonio
Tam nobili edulio panẽ omnẽ reddidit, quẽ à Rege habuerat.
Si quas ex Iagelonico manipulo gratiarum collegit ſpicas;
Meliore Chriſti frumento rependit.
Et expeditus quidem Auguſtus in Cælum,
KRASINIVS verò Cracouienſibus Infulis auctior,
Vbi Auguſtum non potuit, Patriam demerendam accepit.
Periclitata eſt hæc defuncto Auguſto
Nam præterquam quòd maſcula Regum ſtirps defecerit,
Ordines etiam per varias à Religione ſectas diuiſi ac diſcordes,
Ad extremum Primatialis authoritas conuulſa.
Quaſi dedecus aliquod fuiſſet Poloniæ,
Vacante Coronâ Infulæ ſubjci:
Et in pedo etiam inueniri non potuiſſet, quod ſceptrũ ſaperet.
Sed

Sed ſtetit pro Troia hac KRASINIVS,
Stabilimentum pacis aſſerens vnionem.
Cum rebus publicis idem fieri, quod cum ingentibus arboribus:
Felicius ſe alunt, ſi ſuccum eundem pars parti communicet.
Non manente hâc concordiâ, exſiccantur infeliciter.
Taliter compoſitis Ciuibus in electionem deſcenſum,
In qua dum ſuus pro quouis perorat ambitus,
HENRICVS Valeſius è melioribus electus.
Cui deducto poſtea in Poloniam
Dum obuia procedit electoris populi pompa,
Etiam KRASINIVS obuiat cum ducentis Equitibus;
Qui torquibus aureis præcincti Pontificiæ militârunt Famæ.
Manlios diceres Torquatos,
Niſi quod Gallo potiùs triumpharunt, quàm de Gallo.
At faceſſijt iterum negotium VALESIVS,
Vbi accepto fraterni lethi nuncio profugus,
Poloniæ & ſolium & ſolum deſeruit.
Perierat pænè Lechia,
Niſi KRASINII & aliorum niteretur conſilijs.
Dum pars MAXIMILIANO, pars STEPHANO BATOREO ſtudet:
Effectum, quia diuiſis vtrinq; ſtudijs Polonia ſcindebatur.
Sed patuit ibi *puluinos eſſe ponderoſa ſapientûm Ciuium conſilia,*
Quibus Reſpublica ſuauiter incubat.
Nam KRASINII & aliorum Ciuium ſtudiis effectum,
Quia ad Bathoreum Regni Fortuna reſpexit.
Qui vix inauguratus, Gedanenſes ſtatim expertus rebelles,
Coronæ galeam ſubſtituit,
Balthi opponens balteum.
Non defuere ALEXANDRO noſtro ſui Epheſtiones,
KRASINIVS quia phtyſi pænè confectus ſequi non potuit,
Ducen-


Ducentos Pedites, & grauioris armaturæ L. Equites
Principi suo subministrauit.
Egregius nempè Præsul
Licet morbo languidus, curandæ tamen intentus Patriæ,
Illiûs magis quàm suæ studuit saluti:
Verè sic & infirmus accinctus robore,
Vt FRANCISCVM agnosceres,
Cui nunquam debiles sunt lacerti;
Vbi vel Ecclesia, vel Patria occurrit sustentanda.
Meditabatur hic Pontifex adhuc plura,
Sed mors annos LII natum adorsa
Anno Christi M. D. LXXVII magnas cogitationes impedijt.
Secuta tamen ad posteros Fama,
Quòd quinquennio nisi in Episcopatu exacto,
Tantillo tempore KRASINIVS tantum fecit!

FRANCISCO KRASINIO.
ODE XLIX.

QVis ille verò per Lechicæ volans
Sublime terræ non tenui polo
Propinquat alâ Coruus? & quò
Vix Aquilis liceat sequaces
Duxisse tractus nubiuagus, io!
Passu ille prompto deuolat, alitem
Profertq; cursum, nec vacantes
Remigio sinit esse pennas.
Sublimioris nî statio capit
Euecta Corui, SLEPOVRONI nigram

Agnosco stemmatis volucrem,
Cui agiles sonat inter alas
Nomen KRASINI; quod grauidum suis
Pridem triumphis nescit in abditis
Lippire caulis, sed sub ipsos
Facta vehit celebranda cælos.
Tu tu ille tantæ vectus ab alitis
FRANCISCE pennis æthereos super
Erumpis illustris coluros
Parrhasiis metuendus vmbris.
Tu tu illa magni sanguinis indoles
KRASINIANI gloria stemmatis
Pennâ triumphaturâ auitæ
Vectus Auis super ipsa famam
Educis ingens sydera. Lechicis
Parùmq; credens marginibus tuam
Cinxisse laudem per remotas
Progrederis volitando gentes.
At verò prædux Plausus in æthera
Fragore surgit, teq; vel vltimis
Clangore raucarum tubarum
Grandisono manifestat oris,
Tuis quod olim se studiis Eques
Iunxit Polono Littauus Aliti,
Tuo triumphales in vnum
Quod populi coiêre quondam
Labore nexum. Nobilior datus
Nec vnquam in Indo chrysolithus mari
Vel gemma, præsenti VNIONE,
Quæ geminos ita vincit orbes,

Quò tantùm vt hostis nos trahat, illicò
In bella iunctis viribus impigri
Eamus, & tremenda regnis
Nostra alijs faciamus arma.
Hinc quòd Leones Vandalici suas
Pressère cristas, quòd draco Moschicus
Nil sciuit aduersus Polonas
Sæpe Aquilas, quòd & Hydra nobis
Quondam rebellis de stupido dein
Remisit æstu: pene quod integer
In nostra conspirator Orbis
Pergama nil potuit; Polona &
Lituana virtus est. simul vt fuit
Quæ iuncta secum, sic nisi laureas
Parit, triumphalesq; palmas,
Sic virides nisi fert coronas.
Et Tu KRASINI posterioribus
Ob tam potentûm fœdera Gentium
Obscurus haud viues in annis,
Sed Lechicus quoties auitam,
Lituanus ardor, sed quoties suam
Ostendet armis non piger indolem
Feretq; famam, pars perennis
Tu quoq; eris manifesta famæ.



CONclaui Principis debuerat ſecretum, non propriæ virtuti,
Et ideo vulgatore ſui ipſius calamo in faſtigia erupit.
Neſcit enim ſecreti ſilentium, pro quo virtus perorat.
SIGISMVNDI AVGVSTI literis ſcribendis adhibitus,
Baſilicâ omninò ad Aulam felicitate,
Quòd primo ad eam ingreſſu,
Concredita repererit Regiæ mentis arcana:
Cùmq; alii vix atrium, ille mentem Principis habuerit in aperto.
Dubitauitq; illa ætas,
Auguſtus, illuſtriornè Regio throno? an MISCOVII ſtylo?
Cùm nihil is ſcripſit, quod orbis admirabundus non legeret:
Maieſtatem ſcriptioni intendente non ſolâ Principis auctoritate,
At & ſcriptoris ingenio.
Sed amplior magnorum virorum fama,

Quàm

Ignis instar, vt semel concepit flammas; ita vlteriùs exæstuat.
MYSZKOVIVS à literis ad legum custodiam ab Augusto promotus,
Quotiescunq; locutus est, in sapientiæ scholis crederes adultum:
Quoties iudicauit, in Astreæ.
Eruditionis penè miraculum,
Et qui doctrinæ non laudem tantùm adeptus, sed & palmam.
Ambiuit tàm doctum hominem Plocensis Tiara
Cum non laureæ magis capax esset, quàm Infulæ.
Qui vnâ manu pedum, alterâ calamum stringens,
Perinde sacros, ac doctos impressit characteres.
Cracouiensis Antistes creatus à BATOREO,
Dicere cum PETRO poterat, sed vnicâ demptâ voculâ,
Argentum & aurum est mihi.
Nisi quòd è Magistratibus gestis, quò ditior,
Eò ad aliquid Ecclesiæ faciendum, impeditior,
Necessitates sponsæ vmbrâ tantùm sanare voluit, non auro,
Nullam sui relinquens memoriam.
Meruit tamen æternitatem
ZAMOSCIO, KOCHANOVIO, promotis & pluribus alijs,
Quos commendauerat eruditio.
Eruditioni nimirum honorem habuit, ipse eruditus.
Infelicitas hæc aliàs literarum, vt ditioribus vilescant,
Quasi eruditionis splendor Pluti cæcitati illucescere non possit.
Sed destructi sæculi hoc aliquando vitium, nec id perpetuum.
Nulla natio tàm barbara erit aut inhumana,
Cujus Principes eruditionem non ament, aut quærant.
Parata siquidem regnantibus ignominia,
Si quod Tiberij in Hortalos odium, id illorum in eruditos.
Meritus de literatis MYSZCOVIVS,
Com-

 Commune amantium literas præmium retulit, FAMAM.
Sacrosancta enim memoria eius, qui de eruditis meruit:
Literæ rependunt, quidquid his datur.
Suum commendat, qui aliorum colit ingenia:
Sibi fructificat, quisquis illis seminat.
Mercedem tamen aliam è cælo recepturus
Posuit cum vitta vitam anno Pontificis veri M. D XC.I.

PETRO MYSZKOVIO.

ODE L.

NEc me Poëtis, inuida Cecropis
Fortuna nec me vatibus eximit,
Et Tu perennatura magnæ
PETRE feres monumenta laudis,
Si sistra tangam. Parcere laudibus
Apollo nescit, si videt indolem
Libris; literisq; natam:
Et Latias cui cura prima
Fouere Musas. Nobiliùs canet
Nil fama de Te, quam KOCHANOVIUM
Quando ZAMOSCIUMq; dicet
MISCOVIO placuisse PETRO,
Auctore & illo Principum in intimos
Venisse amores. Damna sequentibus
Iam verò quàm tremenda sæclis,
Dum modicos nimiùm Patronos
Præsens dat ætas: qui foueant eos
Quos eruditi gloria Nominis

Immensa cingit, è scholisq;
Egregium retulere nomen.
Quot vel Marones, quot vel Horatij
Et his in annis, quot KOCHANOVII
SARBIEVIIq; adesse possent,
Si ingenijs suus æstimator
VRBANVS & nunc viueret, è manu
Qui liberali porrigeret simul
Et laurum & aurum, literatæ
Dum recipit monumenta pennæ.
Qui vellet altas erigere indoles
Et excitandis ingenijs suos,
Subinde testari fauores:
Sed tumidi quia plena fastûs
Fortuna doctos nauseat, & suæ
Superba multùm mole pecuniæ,
Musasq; Musarumq; mystas
Plus nimio temulenta temnit.
Hinc literarum non hic amor modo
Qui mansit olim; hinc vilior aspici
Doctrina cepit, hinc Latinæ
Exilium subiêre Musæ:
Vt iam scholarum quærere posthumam
Labore famam vile quid æstimet
Destructus Orbis, diuitumq;
Non aliud magis audientes
Offendat aures ac oculos; data
Quàm ab erudita pagina dextera,

Et

Et prompta de penu scholarum
Materies, neq; viliores
Creduntur aulis; quàm quibus vnica
Est cura chartæ cum calamo, & quibus
Accensa scribendi cupido
De populari aliquando fama
Vellet mereri. Quotidie interim
Decrescit ampli gloria Nominis,
Dum bella quantumuis Gradiuus
Noster agit, reliquiq; Ciues
Famæ laborant Sarmaticæ; tamen
Per literarum sceptra & Apollinis
Iam penè cepta nauseari,
Et Patriæ minùs innotescit
In orbe virtus. Nostraq; posteris
Quæ posset olim viuere sæculis,
Sopitur indoles, tacenturq;
Haud modicæ documenta famæ.
Te pulchra cingit gloria MISCOVI,
Quòd quos Apollo, quos proprio sinu
Minerua nutriuit, viriq;
Sarmatico potuere magni
Mundo parari; Principum amoribus
Hi Te Patrono perfruiti satis,
Aulæq; subnixi fauore
Post Patriæ innotuêre toti.

POPVLARI suo & TVTELARI
Cracouienſis Inſulæ
Pretioſiſſimæ Gemmæ
DIVO STANISLAO
EPISCOPO & MARTYRI.
Pro quinta Antiſtitum Cracouienſium decade
EVCHARISTICVM.

ET me verus amor trahit
STANISLAE tuam dicere gloriam,
Et me corripit entheus
Præſul ſancte tuo plaudere nomini.
Splendor quantus ineſt tibi
Clararum referens lumina lampadum,
Quos cæli retinent, æmulus ignium,
Stellato ſimilis tholo.
Dum ſacrum caput Inſula
Ornat, Martyrium cum dat adoream.
O! ingens Superûm decus,
O! magnum Patriæ Sarmaticæ iubar:
Tu Phæbus fueras mihi,
Duxiſti tremulam tu mihi dexteram;
Ex ſe ſat calamum rudem
Aptâſti, vt Craciam ſcriberet Inſulam,
Laudes redderet & ſuas
Dignus tam celebri Præſulibus Mitrâ.
Quinta hæc tota tua eſt Decas,
Pro qua me aſſiduum mancipium cano.

GEORGIVS RADZIVIL CARDINALIS.



VEl tubas has vel ipſam Famam audi,
Quàm ſonorum ad poſteritatem nomen,
GEORGIVS RADZIWIŁ.
Ducum in Nieswiez & Ołyka ſanguis.
Patre NICOLAO Palatino Vilnenſi, Matre Szydłowieccia
Hæreticâ labe infectis.
Sed nunquam puduit roſam inter ſpinas naſci,
Quoties in ſpinas non degenerat.
Parantibus in eo fatis AMBROSIANI aliquid;
Ad cunas examen apum conuolauit:
Vt ita tempeſtiuè mellificaret eloquij ſuada,
Sereniſſimis poſtea depromenda Principibus.

Seu

Seu illustrium cerarum erat suauitas,
Quâ excitatæ apes confluxerunt:
Vel vt deinceps colligerent alij
Apes vltrò mel GEORGIO porrigere;
Ne venenum ab hæreticis Parentibus haurire cogeretur.
Adeò *magnorum natales, secum præsagia ferunt:*
Nec in lucem ita prodeunt,
Vt ominum satellitia simul non sequantur.
In crepusculo primo statim Sol prodit, quid ipsa dies adferet.
Quæ vir patrabit, infans indicat.
Leo ex vngue adhuc cognoscitur.
Inscripti teneriori tiliæ characteres etiam in arbore leguntur.
Ad hæreticas scholas missus paruus Annibal,
Pro Roma sacramento se obstrinxit, non contra Romam.
Vbi succreuit ætas,
Apud MAXIMILIANŪ II. Romanorū Imperatorē aulæ rudimenta posuit
Nempe
Magnis statim passibus incedunt, quicunq; ad magna nati.
Pigmæos saltus non amant veri Gigantes.
Per non humilia formari volunt, qui ad summa destinantur.
Neq; caruit admiratione virtus.
GREGORIO XIII ab Imperatore postea commendatus,
Et Imperatorium amorem meruit & Vaticanum.
Nec desiderauit multorum suffragia;
Satis multis placuit, dum duobus his fastigijs.
Inde VALERIANO Vilnensi Antistiti, grandæuo Athlanti,
Substituitur Coadiutor Alcides.
Iuuenis admodum;
Sed Herculis est in cunis etiam ea gerere;
Quæ alij vel viri non possunt.

In honoris suffragium male postulatur ætas,
Cum animum Infula munerat, non pilum.
Factus Vilnensis Antistes peregrinationē Cōpostellanā suscepit,
Non tam Hispaniæ admiranda quàm IACOBVM veneraturus:
Natalem Ducatûs sui Purpuram
Substernere certus piscatoriæ ejus laciniæ;
Cui Hispanicæ etiam portæ postes suos submisêre.
A GREGORIO XIII Cardinalitio bireto ornatus,
Magnâ RADIVILIANÆ virtutis veneratione,
Quòd simul cum BOLOGNETO Nuncio Apostolico.
Majore plausu,
Quod ambo de sua promotione ignorâssent.
Pulcher semper honor est, quoties pro voto accedit.
Pulchrior tamen,
Quoties ut extra votum, ita & extra scitum:
Nec enim tam humilis est dignitas, ut se obuio cuiuis sternat.
Iam si in mancipium abit,
Egregia omnino indoles esse debuit, cui se ille mancipat.
Ergo quâ integritate promeruit dignitatem non quæsitam,
Eâdem non reiectam administrauit.
Splendorem omnem in viuendi agendiq; modestiâ ponens:
Quod alij ad pompam gerunt, gessit ad virtutem.
Magnus vndiq:, & tamen vbiq; facilis:
Sublimis, & tamen affabilis.
Amari ab omnibus & honorari
Hoc suum, hoc RADIVILIANVM existimans.
A STEPHANO BATTOREO Liuoniæ cum summo imperio præpositus.
Opprobrium quippe non erat Coronæ,
Si Infulam sui loco substituit.
Benè sceptri vices supplere potest Præsulis Scipio:

Et

Optimè in Pontificiam Purpuram deuoluuntur Regnorum curæ.
A SIGISMVNDO tandem III Cracouiensibus aris cumulatus,
Honorem admisit.
Recusare omnes honores non semper humilitatis est,
Aliquando & ambitionis;
Moderationis verò, accipere,
Quos Principum gratia dedit, & meruit virtus.
Ita fasces omnes suscepit, vt dubium reliquerit,
RADIVILIVSnè honori, an RADIVILIO honor plus debuit.
Ad SIGISMVNDI nuptias cū ANNA Austriaca à CLEMENTE VIII Legatus
Et Vaticanæ Purpuræ reuerentiam auxit & suæ.
Galero minùs dignus sibi creditus, nisi se Mercuriū ostenderet.
Nata postea è tanto connubio Augusta proles,
ANNA MARIA primò, & deinde VLADISLAVS.
Tam basilici partùs qui nomen ad posteros transmitteret,
RADIVILIVS delectus.
Qui ritu sacratiore Regiā Sobolem in lustralibus aquis tingens,
Cælis inaugurauit animas,
Iam natalium nobilitate in spem regnorum effusas.
Nec lustralia hæc clariora reddi poterant,
Quàm à nomenclatoris tubis:
Qui gentilitiam quoque Aquilam intulit,
Ne quid auspicijs defuisset.
Atque satis id ad nominis memoriam;
Nisi ampliùs de RADIVILIO mereri voluisset Fama:
Quod Polonorum nulli contigit,
Duobus conclauibus INNOCENTII IX & CLEMENTIS VIII
Cardinalis hic interfuit.

Electore calculo eum decernere, cui caput inclinet orbis.
Et eiusdem voti esse, cuius & Diuinitas.
Auita deinde RADIVILII cornua cornucopias diceres,
Quæ tam beneficè in omnes defluxerunt.
Vnde puduit terram tanta non rependere merita?
Quà in Rempublicam; quà in omnes egenos;
Quà in Sacerdotũ & Religiosorũ Collegia munificũ dũ videt;
Etiam illa nouos metalli thesauros Kielcijs aperuit.
Documento omnibus,
Quod & ipsa tellus liberalibus velit esse vectigalis.
Munifico Præsuli quid cæli daturi non erant?
Si ipsa terra largitatem tantoperè rependit.
Expedierat sanè æternùm viuere tanto nomini,
Sed dum Romam Iubilei gratiâ venit;
Dum in se vno ostendit, quid magnificentia Polona sciat,
Cum auitis tubis in tumbam descendit.
Infirmantem inuisit CLEMENS VIII.
Et hoc erat Vaticanam grauitatem clementiâ temperâsse,
Vbi non magis de uia, quàm de Maiestate deflexit.
Nec visitasse contentus,
Post præmissa præconia, lachrymis & Aplicâ absolutione prosecutus est.
Funus delatum Romæ ad basilicam Nominis IESV
Romanâ Curiâ honoris causa deducente.
Adeo *magnus virus vel post funera seruit honor,*
Nec tàm parentat, quàm paret.
In fatis etiam obnubilari nesciunt illustres animæ,
Diemq; ferunt inter noctes.
Elatus verò RADZIVILIVS A: D. M DC. ætatis suæ XLIV.

GEOR-

GEORGIO RADIVILIO.

ODE LI.

QVò molle plectrum? quò tenues nisi
Thalia buxi, grandibus hîc sonat
Fama ipsa cum tubis, grauiq;
Ære RADIVILIVM remoto
Proclamat orbi. Sarmatiæ suas
Hîc totus aures arrigat ambitus,
Et spectet, vt pulchram GEORGI
Vita refert speciosa laudem.
Sic vera virtus semper in inclytos
Crescit triumphos, sic in adoreas
Et longa palmarum theatra
Surgit ouans, per honesta quisquis
Se facta prodit. Mittere, desides
Eant vt anni, grande nefas: benè,
Si à fascijs ipsis studemus
Magnanimos perhibere nisus.
Adhuc GEORGI tu fueras puer,
Et iam valenti non minor Hercule
Vbiq; surgentem domabas
Hæreseos grauis hostis hydram
Et ferro & igni. mox vbi fortior
Succreuit ætas; arma stygi integræ
Et bella mouisti, superbo
Non leuiter metuendus Orco.

Hinc

Hinc grande nomen post Mareoticas
Exuit oras, nominis integra
Hinc fama se fudit Latinum
Post Tyberim, liquidumq; Scaldim:
Hinc Cardinalis Purpura nobiles
Texit lacertos, hinc dedit alteris
Dicenda sæculis decora
Blanaus Honor, posuitq; summos
In dona fasces. & qui alias fugax
Quæsita multo sanguine culmina
Concedit ægrè, nec cruentis
Muricibus nisi purpuratum
Submittit ostrum; se facilis tuis
Subscripsit ausis, iunxit amabilem
Fortuna dextram, Lechiciq;
Io! statim cecinêre campi
Et grandis io! Fama, vel vltimis
Noscenda terris, vel Garamantibus
Spectanda in immensum remotis,
Vel Tyriis memoranda Thebis.

BERNARDVS MACIEIOWSKI
CARDINALIS.



Hîc demum orbis documentum capiat,
Quòd aula non ſemper eſt virtutum nouerca.
Non prohibet honeſti exercitium,
Modo ſequaces illius indoles habeat.
A quibusdam metropolis vitiorum dicta,
Sed ibi, vbi nec minima probitatis eſt ſedes,
BERNARDVS MACIEIOVIVS
Sub STEPHANO Rege aulicæ cohortis vexillifer,
Non omnino ſcelerum collegia inuenit.
Socolouio, Rescio, Skarga, Dobrociescio, in Regia exiſtẽtibus,
Viris illis,
Quibus pares non quæuis Chriſtiana ſchola numeret.

Tam regnantium elogio,
Quod non protinus virtutem à satellitio suo excluderent;
Quàm illorum laude,
Qui hanc inter aulicum quoq; comitatum paterentur.
Familiarior his assiduè MACIEIOVIVS,
Abiecto militari balteo nomen dedit CHRISTO.
Romæ Sacerdotio initiatus victima DEO stetit,
Vt non frustra Vitellium diceres:
Quem tamen non ad forum boarium exposuit Roma,
Sed ad sanctiores aras.
Dignum Pontificiâ togâ iudicauit Vaticana Purpura,
Regius SIGISMVNDI III calculus nominauit.
Nec obscura Infula cinxit emeritum caput,
Sed illustrissima, quia Luceoriensis.
Amant impendi lucis, magnæ animæ,
Nec vmbratiles esse sustinent, quibus ad splendorem datum est nasci.
Atque ostendit hæc lux, quis esset MACIEIOVIVS,
Quando dignus visus, qui Vilnensem Cathedram capesseret,
Nisi Lituanorum obstitissent suffragia.
Non quod è judicio illorum indignus tantô fastigiô,
Sed quia non Lituanus.
Non amat exteros vernaculus honor,
Ægrè semper candidatum eum ornat, qui non sit indigena.
Aduentitia ingenia offendunt communiter populum,
Quia Patriam tantùm æstimare didicit, non animum.
Tulit repulsam modestè MACIEIOVIVS.
Aliàs *dulcis esca est dignitas:*
Ambientium studia velut muscas fame sui inuitat.
Non statim extinguitur, vbi semel sitim accendit ambitio:
Orexis huius semper est famelica.
Sed gloriam auxit negatum per inuidiam fastigium.
Vbi RADIVILIJ primò præsago animo, suis deinde meritis
Craco-

Magnæ mentis teſtimoniũ reliquit de ſe præſagijs locũ feciſſe.
Nihil enim pulchriùs, quàm ominibus non obſiſtere indolem.
A cauſarum ſerie communiter proueniunt vaticinia;
Illuſtris tamen vt plurimum animi eſt, illis non intercedere.
Vocatus interea ad Sceptra Moſchouitica cognatus ſanguis,
Marina nimirum MACIEIOVIO affinis,
GEORGII MNISZEK, Palatini Sandomirienſis Filia,
Moſchorum Duci Demetrio deſponſata.
Gratulabatur Polonia
De tanta apud ſe vel è patritio ſanguine, nuru;
Vt ad imperium mereretur vocari:
MACIEIOVIVSq; gauiſus conſanguitatem ſuam
Regnatrici coniungi Proſapiæ.
Qui Majeſtatum Polonarum præſentiam nactus,
Marinam ſolenni ritu deſpondit.
Iunonem copulari ratus,
Quæ Moſchico Ioui, Martes Filios ex ſe relinqueret:
Seu Thetidem, quæ Achilles.
At nunquàm ad portum peruenit felicitas,
Quæ ambitioſæ ſpei nimiùm vela dedit.
Deſinit ſæpius in Aquilonibus. poſtquàm à Fauoniis incepiſſet.
Vtcunq; pelagi fides ſuſcepta ſit, etiam malacia fallit.
Ceſſant venti, vt rurſum ſæuiant.
Serenatur cœlum, quod nubibus poſtea obducitur.
Dum abutitur imperio Demetrius; à Moſchis occiditur:
Marina infauſti imperij,
Et veluti in ſcena ad aliquot horas geſti Principatûs.
Perennaturum exemplum,
Dum pudicitiæ ſatiùs, quam imperij iacturam patitur;
MACIEIOVIVM mærori, Poloniam bello inuoluit.

Infelix ambitio nihil humile moliri potest.
Eò libentissimè ascendit, vndè certissimus est lapsus.
Si in altum lentè non it, omni patet præcipitio.
Mæstum ob inuolutam bellis Poloniam MACIEIOVIVM
Honor solari cæpit.
Præter Cardinalitium muricem Primatiales etiã fasces offerẽs.
Sublime id quod capessijt sed non suprà meritorũ culmen.
Gratiam siquidem *non facit honor, sed debitum exsoluit,*
Quoties emeritam coronat indolem.
Stipendiarium est semper virtutibus culmen,
Et Purpura egregius factus vectigalis.
Auctus honore honor,
Dum ad solennem SIGISMVNDI cum CONSTANTIA desponsationis actũ,
PAVLI V. Pontificis Maximi Legatus MACIEIOVIVS,
Muneri tanto parem magnificentiam iunxit.
Nisi quod SIGISMVNDI oculos offendit conopeum.
Nec abstinuit à contumelia Princeps.
Quasi throno quoq; decorum non sit, si ratione iram supprimit:
Et non ignobilium potius animarum armaturam spiret, Furere.
Sceptra tenentibus potissimum regnandi arcanum, si dissimulant.
Mouit, vt par erat confusio hæc MACIEIOVIVM,
Vt ex Ecclesia se proriperet.
Daturus facilè veniam,
Si sua & non potiùs Apostolicæ Sedis iniuria foret,
Et mitigatus ille quidem,
Odia tamen Ciuium non tam facilè sepulta.
Documento Regnantibus,
Quod *nimius Maiestatis suæ amor*
Vbi per contemptum aliorum sperat gloriam, opprobrium legit:
Indignum Sceptris vitium, regere non posse impetum.
Male imperat, qui ad mensuram potentiæ voluntatem suam extendit.
Pulcherrima regendi ratio,
Si quibus multa impunè licent, libent quàm paucissima.
Regius animus non est irâ vti velut Duce, non milite:

Melius

Meliùs, si illa ministræ locò habetur; non dominæ.

Nactus à Republica otium MACIEIOVIVS

Synodum Prouincialem indixit.

Digna quippe Præsule cogitatio

Non tantum à se, sed ab aliis etiam exigere,

Qui sint & quales esse debeant.

Meretur insculpi marmoribus labor,

Qui moribus Cleri reformandis insudat.

Modicè aliàs opera hic impensa ignominiam non effugit.

Secutusq; pulchram intentionem egregius finis.

Absoluta per MACIEIOVIVM Synodus.

Nobili boni Pontificis encomio:

Nam nulla opera laudari verè potest, nisi peracta.

Ridenda Pontificum solicitudo,

Quæ vltra pia desideria non procedit.

Voluntas hic efficax elogium meretur, non velleitas.

Benè velle quiuis potest, facere nonnisi egregius nouit.

Non potuit tanta merita coronare tellus,

Ideo præmiauit cælum MACIEIOVIO ad se vocato.

Anno Dñi M DCVIII superis illatus, vitæ suæ LX.

Non enim Poëtici tantùm Tauri, sed & MACIEIOVIANI Bouis est,

In Sydera referri.

BERNARDO MACIEIOVIO.
ODE LII.

FOrtuna quamuis se mihi subtrahet,

Non temno Diuam quærere transfugam;

Redibit & semel negatus

Rursus honor numerosiore

Censu locuples. *Sic Tibi Littaua*


BERNARDE quondam Terra negauerat

Vilnæ tiaram, cum ampliore
Sarmaticus Cracus ornat ostro,
Cum Cardinali murice non leues
Donantur armi, Gnesnaq; propriam
Admisit in sedem, suumq;
Primæ aquilæ tribuere nidum,
Vix nempe duros ducere spiritus
Fortuna nouit, dum videt indolem
Virtutis hæredem: probatq;
Eximias si aliquando mentes
Suspendit aut spes; protinus erigit
In amplioris culmina gratiæ
Dignamq; celsiore sede
Frontem vbi habet, diuturna nunquã
Per uota torquet. Criminibus nocet
Quæsita tantùm purpura, nec bene
Per illa speratur, modestis
Quæ potiùs solidatur actis.
Tu sed Coronis, tu sed adoreis
BERNARDE frontem porrige, dum è domo
Non mittis vllum, qui leuatæ
Non capiat monumenta per Te
Aperta sortis. Qui MACIEIOVII
Non noscat illam sæpius indolem,
Vt vel sibi deesse malit,
Quàm miseræ haud meminisse plebis.
Sic liberalis qui propriè & piè
Est liberalis spiritus; & modum
Non nouit, & non seruat artem,
Sed tribuit quoties egena

Tantum

Tantum precatur pauperies; suæ
Demitq; pompæ, dummodo .. alterum
Profundat, & carere prompto
Nunquam inopes patiatur auro
Secus dolendum, si nisi commodis
Nostris studemus, si his opibus, DEVS
Quas credidit nobis, abusi
Vt stomachum satiemus ipsum
Immensa mensis fercula ponimus
Et plena Baccho pocula iam satur
Quæ nauseet venter. vel ipse
Quem toties tumor imperauit
Furorq; noster, si nisi inutili
Turgemus in luxu, & veluti noui
Rursus resurgimus Thrasones,
Vel tumidos adhibendo currus,
Soluta multis vel nisi millibus
Carpenta, largo queis micet aureus
Et axis & temo metallo,
Quæuè trahant tumidi caballi.
Et nescientes viuimus interim
Fortuna tempus quod satis ad breue
Concessa non donata nobis,
Nostri adeo nequit esse iuris.
Quidquid profusè pendimus, omnium
Reddenda nobis est ratio: malè
Si pendimus, cuncta ista magnus
Creditor ille DEVS requiret.

PETRO



PETRO TILICCIO nō proceſſerat vltrà natalis felicitas,
Niſi quod non è plebeio ſanguine in lucem prodijt.
Nullis Majorum honoribus clarus
Fortunam non debuit, niſi ſibi.
At ſuperat omnem natalium ſplendorem,
Qui cum aliena merita numerare non poteſt, facit ſua.
Abſq; Maioribus vera eſt nobilitas.
Maximos dare poteſt & humana geneſis.
Sine Ioue Parente Achilles erunt.
Qui enim imagines tantùm exponunt in atrio,
Noti magis ſunt, quàm nobiles.
Inquinatur facilè gloria, quæ in ſolo hæret fumo.
Magnificentia omnis à virtute non ab origine.
Rerum inopiâ preſſus Cracouiæ in pauperum contubernio
Literis operam dedit

Alle-

Alleuiatâ per eruditionem molestiâ inopiæ sarcinâ,
Ad Myscovivm primò, deinde ad Zamoyscivm se contulit.
Ibi juris ostendit peritiam,
Cujus studia ne primis labris in scholis attigerat.
Philosophus & Theologus maximus visus,
Estò Aristotelem vel Thomam è pulpito non audîsset,
Cuncta hæc priuato assecutus labore.
Par aliàs prodigio absq; ductore eruditio;
Non ita propitiæ sunt scientiæ, vt vltrò se insinuent.
In sublimi habitant, ad illas est nitendum.
Per abrupta montium luctari debet,
Quisquis ad veræ doctrinæ culmen peruenire desiderat.
Per discrimina rerum tenditur in Latium.
Inter Canonicos Cracouienses adnumeratus,
Nomen priusquam quæsiuit, inuenit.
Descendit ad Aulam Fama,
Et quantus è Tiliccio Ciuis parabatur Patriæ,
Stephano Battoreo nunciauit.
Nec semper leuis rumor illa est, aliquando & oraculum:
Probata Stephano primò, & deinde Sigismũdo Tiliccij indoles
De Regiâ plenior abijt.
Regni Procancellarius, & Culmensis Episcopus simul,
Dubium reliquit,
Maiorne fuerit fascium splendore, an Regnantis judicio.
Si illius virtutes ante Infulam hanc inspexisses,
Nomine duntaxat ornatus est.
Senator erat, cùm non erat;
Hoc ipso purpuram jam indutus quod illâ dignus viueret.
E Culmensi Varmiensis Antistes

 Regni nihilominùs Sigillum retinuit.
Præter instituta id Maiorũ quidẽ, sed tamẽ de Ordinũ cõsensu.
Lex enim tam strictus carcer non est, vt egredi ex illo nunquam liceat.
Nec tam fortis catena, vt rumpi non possit;
Maximè vbi ij dispensant, qui condidere:
Nec id pro libitu suo, vel insolentia,
Sed pro rei exigentia, quæ est supra omnes leges.
DEI tantum decreta immutabilia, non hominum.
Non eadem semper temporum est ratio.
Necessitas subinde his indiget, quæ ante excludi expedierat.
Ita dispẽsante lege TILICCIVS penes Varmien: Infulã Regni Minister
Dum diceret; ipsa pæne Musa dixisse visa:
Dum iudicaret, iudicâsse ipsa Themis.
Et miraculum sanè fuit
In hoc munere inuidiam non incurrisse.
Sæpiùs apud alios Signatoriæ Aquilæ pennis pro trochilo,
Adhæsit odium.
Nec tam duræ sunt sigilli hujus ceræ,
Vt in illis maleuolentiæ vestigia nequeant imprimi.
Retulit tamen hanc palmam TILICCIVS,
Quia in pleno inuidiæ officio hominibus non displicuit.
Et quod magis portentis annumerandum,
Placuit DEO.
Dilemma hoc rarò admodum humani fasces effugiunt:
In Magistratu aut hominibus places, aut DEO;
Si hominibus, non tam DEO;
Si DEO, non ampliùs hominibus.
Vtrisq; tamen placere, pænè supra humanas est vires,
Quia vt vtrumq; non minus gloriosum, quàm difficile.
Secundæ SIGISMVNDI Consorti CONSTANTIæ imposuit Coronã.
PETRI enim est regnaturis diademata dare.
Cracouiensibus inde Infulis auctus,

Pares

Pares Pontificio muneri & tantæ Purpuræ mores induit.
Aras & templa aut instaurauit, aut noua instituit.
Nosocomia vbique prouidit,
Et hoc erat cum Apostolo dicere,
Fratres debitores sumus.
Cùm alibi liberalis fuerit,
In re quoque literaria esse non desijt.
In Academia Cracou: publicũ Oratorẽ largo stipẽdio instituit.
Nempe de iuuentute nemo meretur meliùs,
Quàm qui doctori subministrat vires.
Ab arbore fructum qui exigit, radicem fouet.
Quanti æstimantur literæ, stipendium Professoris indicat.
In castigandis delinquentibus
Iudici Patrem, Patri Iudicem miscuit;
Vt discerent alij,
Ignoscere homini qui peccauit, ne peccet, pulcherrimum esse.
Nemo verò meliùs ignoscit,
Quàm qui seueritatem moderatione temperat.
Clementiæ rigori mixtæ laudem omnis antiquitas extulit.
Omnis posteritas efferet
Sole nihil illustrius:
Ille idem tamen, aut tam vehemens iubar est, vt oculos perstringat & hebeset,
Aut tam suaue lumen, vt trahat ac recreet,
Mortalitatis ad extremum non immemor,
Nec viuere recusans, nec mori timens:
Viuus adhuc monumentum sibi extruxit.
Percipit sapientiam, si quis tam securè moritur, quàm nascitur.
Nec alium ex hac vita ductorem nactus
Quàm CHRISTVM Crucifixum:
In cujus pijs osculis totus
Ipso Diuæ MARGARITÆ exspirauit Præsulum gemma.

 Et quidem in ipso solis exortu.

Illustrē nempe virtutibus animā illustris quoq; comitari voluit Planeta.

Cum in tenebris ille nisi desiuit, qui lucem in vita non nouit.

Conspicua virtutibus mens, ignium lucisq; domum desiderat.

Deductus verò in cælum TILICCIVS

Anno solis æterni in carne humana conspicui M. DC. XVI.

Ætatis suæ LXXIII.

PETRO TILICCIO.

ODE LIII.

Accuso Matres, imò & eos quoq;
Accuso Patres, qui propriâ nimis
E prole sæpiùs superbi
Decipiunt sua vota vanis
Subinde spebus: dum quoties nouus
Est natus infans, protinùs augures
Vouere nouerunt Parentes,
Hic quòd Auos, Abauos quòd amplis
Ostendet actus ille: quod vnicus
Hic natus hæres, qui similis Patri
Ad pulchra maiorum trophœa
Ipse suos quoq; finget annos.
Quòd post iuuentam non minor Hercule
Labore famam quæret, & ausibus
Se tollet in cælum, suæq;
Pulchra dabit documenta dextræ
Bellator olim: quando vel hostium
Per terga strictum ducet acinacem,

Timen-

Timendus aut hastâ sub ipsum
Cor, tragicam dabit ire mortem.

O! quota non est & modò Nereis,
Quæ enixa prolem, protinus impigrum
Supponit imprudens Achillem,
Qui proprios, vel in hoste fuso

Consumat annos: funera Dardanæ
Vel mæsta Troiæ de teneris adhuc
Cunis minetur, & superbo
Palladio paret impotentes

Acerbus iras, nec nisi se pyram
Ostendat aut ignem. Interea puer
Lactatur in sinu nutricum,
Et studio minùs expedito,

Curâq; Matris deperientibus
Fouetur vlnis; mox vbi creuerit,
Immane monstrum est, aut paternis
Progenies inimica votis,

Et qui Tyranni fundere sanguinem
Debebat hostis; fundit, at aureis
Falerna de scyphis, nec vnquam
Bella gerit meliùs, bibacis

Quàm ad vitra mensæ. Qui validis erat
Timendus hastis, in manibus gerit
Vix ferrum; hic vnquam quiq; summas
Innumeris Patris in curules

Ma-

Matrisq; votis ibat; in abditis
Dehiscit antru, ac opibus malè
Abusus helluo paratus
Sæpè suum in cyathis Parentem
Matremq; sorbet, sorbet & inclytas
Honoris arces, nec nisi funera
Propinat afflicto Parenti,
Matri & Auis sceleratus hæres.
Iam verò quantò pulchrius indoles
Illæ relucent, quæ nimiùm Patris
Matrisq; non nôrunt amorem,
Quæ nimiis caruêre curis.
Quantùm nepotes hi meliùs micant
Plerumq;, quorum rebus in arduis
Lucina cunas deprehendit,
Nec per Auos Proauosq; gaza
Relicta multùm fidere pertulit
In congregatæ mole pecuniæ,
Amica sed virtus virilem
Pauperiem docuit subire.
Et Tu TILICCI quàm tenui satus
Sis Patre scimus; sed quia nobilis
Mens facta virtutis satelles,
Te facilè insinuauit aulæ
Cordiq; Regum. Nec nocuit Tibi
De Matre nasci paupere, cùm statim
Ditescit adstringens egestas,
Oeconomam si agit ipsa virtus,

Ibat


Ibas per ampli compita Nominis,
Regniq; Ceras neſcius Icari
Lapſûs in excelſum volabas,
Quò reliqui nequiêre, quamuis

Hinc inde magni copia ſanguinis
Et plena multi gaza peculij
Relicta per Matrem Patremq;
Sæpè darent animos, ſuiq;

Turgere vellent vota Fauonijs.
Nec iſta famæ meta; ſed ad Cracum
Vſq; vſq; veniſti Tiarâ, &
Præſuleo redimitus oſtro.

Sic ſemper errant, diuite qui niſi
Fidunt in ortu: & pauperibus licèt
Ad magna ſubuolare cunis;
Cùm nitido neq; turpe ſoli eſt

Si quando prodit de tenebris: nocet
Nil concha gemmæ; nec modicus quoq;
Natalis obſtat: abſque magno
Magnus homo ſciet eſſe Patre.



PEr Diuos ad cælum, per Proceres itur ad Regiam.
Aſtris inſeri vix aliquis poteſt,
Qui propitium non habeat Numen.
Et Ariadna per Bacchum, & Bacchus per Iouem
In polo habent locum:
Vix ampliùs eſt Hercules, qui ſibi ipſi viam faciat.
Vt aurum ſplendeat, die & ſole eſt opus:
Vt egregia indoles, ditiorum patrocinio.
MARTINVS SZYSZKOVIVS
Fauore SIGISMVNDI MYSZKOVII ad Luceorienſē eluctatus Infulā,
Orbi Polono illuxit.
Magis ſemper apparet virtus, quoties eſt in publico,
Vtcunq; per ſe illuſtris, in theatro tamen illuſtrior.

Vt & margaritâ extra concham pulchriùs nitet.
Segnescunt magnæ indoles, si scenam non habent;
Parùmq; sepultæ inertiæ distat, celata virtus.
Nactus ita theatrum, animum ostendit negotijs parem.
Alcidæ an sint; officiorum moles probat.
Cùm multi Athlantes crediti,
Nisi rerum vsus pumiliones ostendisset.
Adduci interea debuerat Austriaca Iuno, Polono Ioui,
CONSTANTIA nimirum SIGISMVNDO III.
Qui sponsam deduceret,
Paranymphus delectus SIGISMVNDVS MYSZKOWSKI.
Sed nec hic Hercules absque suo Theseo.
SZYSZKOVIO in Legationis Secretarium adscito,
E voto Principis omnia confecit.
Fuit, quod obstupesceret in SZYSZKOVIO Austria;
Et vt Legati pompam, ita illius ingenium admirata;
Non absq; hæsitatione, quem priùs suspiceret.
Plerumq; enim maiorem admirationem habet indoles, quàm aureus apparatus.
Et comitantium splendor non ita ornat, vt ingenij dotes.
Vtriusq; tamē persuasissima tā dictio quā actio mouit Auditorē
Vt in Poloniæ limites
Non sponsa tantùm sed & sponsæ Mater aduenerint.
Rarâ hâc felicitate,
Et nō ampliùs nisi semel per magnū illū ANDREAM OLSZOVIVM repetita,
Augustissimas etiam in Polonia hospitari.
Neq; distulit postea præmia SIGISMVNDVS,
Płocensem primò, Cracou: deinde Cathedram obtulit SZYSZKOVIO.
Qui vt in alios munificus semper, ita & in viros militares.
Non nescius *quod vt herbæ nutriuntur imbre, alimento humana corpora,*
Sic Martiales animi Magnatum fauoribus.
Parata Regno felicitas, dum prompta bellatoribus præmia,
Nam audent omnes strenuè facere, quando nemo frustra.

Ad ignobile metallum languet bellica virtus;
Si aurum obijcias, excitatur statim.
In Cracouienſi tamen Infula oſtendit maximè,
Quod eſſet MARTINVS
Populo verè neceſſarius.
Baſilicæ chorũ ſymphoniâ, Diui Tutelaris cineres mauſolæo,
Canonicorum Collegium auctioribus prouentibus,
Omnes beneficijs ditauit.
Libera nimirum *liberalitas eſt, & aliquid regium:*
Munifici famam meretur magis,
Qui pluribus, quàm qui plura largitur.
Congiarium niſi ad omnes deueniat;
Largientis minuit famam.
Iniuria multorum eſt coactus in vnum fauor.
Omnibus fuiſſe propitium, nullius eſt damnum.
Nec in ſterilem glebam benefica ſementis incidit.
Mortui enim tã liberalis Pontificis imaginẽ, elogio adornatã,
Conclaui ſuo Collegium intulit.
Ne obliuioni dari poſſet munificentia,
Munificus Præſul præ oculis poſitus.
Adeo *non omninò ſæculorum phænix eſt, gratitudo.*
Egregij animi
Reddunt propè beneficium, dum libenter debent.
Viuus verò eſſe deſijt anno à ſuo natali LXXVI
Poſt Chriſtum natum M. DCXXX.

MARTINO SZYSZKOVIO.
ODE LIV.

EST cûi vel vnâ quærere nobilem
Virtute laudem ſufficit; eſt cui
Millena non quæruntur acta
Ad memoris noua regna famæ;

Florere

Florere paucis si licet; est nimis.
Te maior vrget spiritus ad nouas
MARTINE SZYSZKOVI coronas,
Quando parùm retulisse paucas
Virtute palmas; omnibus omnibus
Mens magna cingi gestit adoreis,
Momenta dum quæuis honestis
Instituis numerare gestis.
Ne cuncta dicam; malleus efferas
Tu versùs iras, dum capitis minor
Furor triumphatus, Tuasq;
Edomitus stetit ante plantas.
Credetnè quisquam? iam video nouos
Nasci tumultus, castra domestico
Iam specto misceri furore,
Et tragicis dare vela rixis.
O! quos Erinnys non ibi contulit
Fatalis ignes? quæ noua Lechicum
Non mouit Eumenis Gradiuum?
Dum dominæ refragatus aulæ
Confæderatus miles in improbos
Exarsit æstus, & melioribus
Suasis reluctatus, Polonis
Ibat atrox populator agris.
Quis hîc ferocis militis arduas
Pressisset iras? quis premeret Notos
Te præter? o! SZYSZKOVIANÆ
Gemma Domûs, melior Tuorum
Scopusq; vatum, metaq;. Feruidam
Tu victor iram, Tu malè concitas

 Mentes

Mentes triumphator, calentes
Tu poteras domuisse biles.
Te militaris compositus minus
Auctore cessit feruor, ab æstibus
Tibi ira cessit atq; victas
Turbo ferox dedit ille dextras.
Iam quæ ministri propria publici
Trophæa surgunt! Sarmatici fides
Quæ ac quanta Ciuis. Te fatetur
Solicitum Tua cura Patrem.
Vbi Senator Lechicus impigrum
Monstras Atlantem, Præsul vbi Tuos
Addis labores, tristiores
A patria remouendo casus.
Hanc inquieti si iubar æquoris
Parat marinis frangere fluctibus;
Subinde Tu periclitantem
Non pateris titubare puppim:
Seu in voraci condita gurgite
Malea crudos excitet impetus;
Tu Castor eluctantem in ipsis
Hanc retines rediuiuus vmbris.
Scit ipse Lechus, scit benè naufragam
Fuisse cymbam, quam tamen horridas
Inter laborantem charybdes
Magnanimo moderatus ausu
Es, vnde magnos nectit adoreæ
Fortuna fasces, & Tibi nobilem
Reddit coronam, quâ triumphes
Perpetuos redimitus annos.



LIPSCIVM siue Lipsium dixeris; parùm differt.
Par vtrisq; eruditio;
Nisi quod in ANDREA nostro illustriùs habita,
Vbi in Purpura.
Addit splendorem literis literatorum dignitas:
Nec illustriùs se collocari putant,
Quàm in natis ad fastigia capitibus.
Hæretici Parentes hunc genuerunt;
Sed lactârunt Gratiæ, educârunt in sinu suo Musæ.
Adeò è nocte dies, è ruderibus aurum,
E conchis margaritæ prodeunt.
Nil nocet soli, è tenebris prorupisse,
Postquam luci suæ restituitur.

 Secutæ clientem suum Musæ, in ipsam vsq; Aulam.
Et hic erat primus ad Fortunam gradus.
Nouo prodigio; per literas insinuari Fortunæ,
Quas potissimè illa nauseat.
In tugurijs eruditionem citius inuenias,
Quàm in diuitum palatiis.
Despicatui haberi cæpit omnis literatura,
Postquàm diuitiæ placuerunt.
Reginæ inprimis CONSTANTIæ Cancellarius,
SIGISMVNDI postea III Secretarius,
Gentilitium suum Rastrum Regali adhibuit Manipulo.
Nec timeri debuit obsequiorum sterilitas,
Vbi is ipse Grabita fuit diligens operarius.
Patuitq; statim exculta indoles;
Dùm digna visa, quæ ad MATHIAM Imperatorem,
Et Imperij Comitia, legatione fungeretur.
Prodest externis innotescere, vbi verior censura.
Non difficilis in patria fauor, extra acriùs iudicium;
Vbi non metus, vel gratia, obnoxium facit.
Imò censeri domi superbia nostra non sustinet;
Ab extraneis etiamsi noluerit, debebit.
Exercuit tribunal de LIPSCIO Imperiale Comitium;
Nec tàm iudicio sensum suum absoluit, quàm elogio.
SIGISMVNDVS vero lauream reduci dedit,
Dum Luceoriensem Mitram.
Et famam, & rebus suis incrementum addit Princeps;
Si tantùm desert, quantùm boni Ciuis merentur obsequia;
Egregij Regis gloria est, non neglectus fidus Minister.
Fessa interim Polonis armis Moschua,
VLADISLAVM SIGISMVNDI III Filium in Ducem suum expetijt.
Sed tamdiu electo Principi fida, quamdiù strepebant arma.
Vbi tantisper quieuit Mars, etiam illa ad genium redijt.
Quarè

Quarè per cæsa rebellium capita ascendi debuerat:
Non quòd VLADISLAO ea Moschici sanguinis cupiditas;
Sed quòd ludificans toties populus
Aliter in obsequium redigi non potuit.
Vbi nihil proficit ratio,
Vtiliter in illius subsidium pœna venit:
Et in isto quoq; negotio sæpissimè initium sapientiæ, timor.
Visumq; è re VLADISLAI, si Moschuæ ipse immineret.
Arcanum optimum comprimendi seditiosos, præsentia Principis.
Cum sole multùm habet Maiestas quæuis:
Vix se ostenderit, fugiunt nubes.
Reuerentiam sui præsens imperat,
Quam absens non tam facilè impetraret.
Datus itineris comes LIPSCIVS;
Ornari cælum naturæ interest non solo sole, sed & Syderibus;
Regna & Prouincias,
Non maiestate tantùm Principis, sed & ministrorum assistentiâ:
Ibi vehementior, quàm sanctiorem togam deceret
A KOBIERZYCCIO notatus:
Sed excandescentiam hanc excussit negotiorum varietas.
In grandium rerum negotijs
Plerisq; mortalibus vultus, veluti quidam venti sunt,
Subitas nubes facilè cogunt, & tempestatem minantur.
Ex sulphure creatas animas tunc dixeris,
Quia facilè accenduntur.
Idque Magnatum maximè infortunium,
Vt multis curis obrui debeant.
Iam; si vehementiùs aliquid agunt, etiam furoris notari.
Cum tamen *promiscua sit omnibus impatientia:*
Nisi quòd in maioribus fastigiis magis censuræ patet.
Vile vitium ostenderet in plebeis etiam rabiem suam,
Si maiorem haberet potentiam.
Sed debilitas armorum ibi communiter modestiam docet.
Non maiora semper palatiorum sunt crimina, quàm mapaliùm,
Nihilominùs tacentur hæc, quia in obscuro posita.

Illa

Melior æstimator SIGISMVNDVS,
Qui præter Regni ceras Vladislauiensē quoq; Infulā, contulit,
Illustris hâc LIPSCIVS;
Sed paulò post gustatum honorem nauseauit:
Certus deponere dignitatis sarcinam,
Quæ tantoperè lacertos premeret.
Nimirum:
Licèt dulce; arduum tamen est, eminendi onus.
Nullus in Insula inuenitur vnio, qui sudor non sit.
Otio priuatus vtitur;
Mille negotia vrgent Præsulibus caput.
Vt cælum suas nubes habet; ita & Pontificum felicitas:
Montes excelsi eò magis fulminibus patent, quò propiùs accedunt.
Creditur in fastigiis his communiter beatitudo;
Interim, vbi sincerius laruam deponis, insignis est miseria:
Sol cum maximè serenus est; vrit.
Habet suum fumum & flamma.
Non hyems tantùm; sed & æstas tempestates sentit.
Obstitit tamen Vaticanus apex LIPSCIO:
Dum assumptam semel vineam excolere iussit.
Inutile ratus, *in solitaria sanctitate senescere,*
Vbi meliùs fæcunda exemplorum virtus ad bonum ducit.
Nec semper cedit in laudem, si priuatim benè viuitur;
Pulchriùs aliquando se commendat fastis,
Qui in eo gloriam ponit, vt benè præsit
Ita firmatus LIPSCIVS,
Sustinuit Pontificiā solicitudinē, qui solitudinē Suleiouiensē appetierat
Cracouiensi postea ornatus pedo,
Cum auito Rastro non terram coluit, sed DEVM.
Quotidie flexo poplite debitum eidem censum persoluens,
Numinis reuerentiam non verbo suasit, sed exemplo.
Virum se præterea, quia ANDREAM esse sciens,
Dum

Dum ferro non potuit, pugnauit auro,
Decem millia florenorum locans:
E quorũ censu aliquot captiui à seruitute Tartarica redimeretur
Bonus Pontifex curauit sic salutem animarum;
Vt non negligeret corporum.
Solicitè annitens,
Ne post Paulinum Nolanum desideraret in eo aliquid Ecclesia.
In suos parcus, liberalis tamen in Cælites,
Postquam Vladislauiense Cænobium & Chotecensẽ Præpositurã erexit,
Apertè monstrans se plura Cælitibus debere, quàm suis.
Nec tutelaris ANDREÆ immemor,
Quem argenteâ statuâ veneratus, honorauit nomen, quod portauit.
Id in LIPSCIO illustrissimum:
Quòd quis esset, ostendit scriptis.
Parum siquidem est præstanti ingenio nasci;
Si nihil est aliud; quàm aptum habere ingenium,
Nec illud testari literis.
Ignauiæ verum facit negligentia calami.
Pulcherrimum est impendere operam scriptioni,
Quæ auctorem suum nunquàm non loquetur.
Nam tantùm quisq; post fata eminet,
Quantùm pro ipso proprij ingenij perorat labor.
Tacent de mortuo homines, vocem inueniunt libri.
Vnde
Vt sileantur SIGISMVNDI gesta à LIPSCIO scripta,
Quæstionũ Decas & Iuris Ciuilis Centuriæ virũ testantur.
Hoc erat:
Post tot tandem sæcula Astræam cælo deducere,
Et profligare dominantem nimiùm litem:
Herculemq; se ostendere aduersùs illa monstra,
Quibus iudicia nostra passim laborant;
In discordiam vsurpatis legibus.
Simulq; monstrare;

Honoratus postea à SIGISMVNDO Gnesnensibus Aquilis:
Sed optimi Principis judicio contentus,
Cùm tanta meruerit, mereri elegit, quàm accipere.
Primas esse poterat;
Nisi, non ambire, maluisset, quàm destinari.
Dignus tanto subsellio, quia recusauit.
Nec enim semper gloria est, præmiatum esse, sed & præmiabilem.
Et ille maximè meretur fastigium,
Qui dignus decernitur, nec accipit.
Sic, quòd ad Primatialē apicem vocaretur, Præsulibus alijs maior fuit:
Quòd eandem reiecerit; se ipso.
Vocauit eum tamen cælum ad suam Tiaram,
Cujus maiore quàm Gnesnensis desiderio feruens,
Cracouiensem etiam deposuit
Anno nati in carne humana DEI. M DCXXXI. vitæ suæ LIX.

ANDREÆ LIPSCIO.
ODE LV.

QVàm sæpè noster non benè iudicat
Affectus eheu! quàm populi malè
Vulgiq; sensus augurantur,
Dum tam auidis oculis videre,
Quæ recta nolunt: quæ mala; perspicax
Omninò lynx est quilibet, & statim
Censor paratus. LIPSCIANÆ
Non deerant aliquando famæ
Momenta magni Nominis; & tamen
Quàm sæpè multis hic furiosior

Quàm


Asperq; dictus, sanctiorem
Quam trabeam atq; pedum deceret.
Quàm multa vulgi vulnera nobilem
Scidêre mentem! quam calamis quoq;
Censura concessit maligna,
Et pupugit grauiora torui
Ostenta vultûs; cum tamen hunc sibi
Fortuna vultum fortè poposcerat;
Nec toruitas fuit, sed amplæ
Pondus erat grauitasq; sortis.
Qui nouit illum; rectiùs intima
Vidisset eius, quàm pietas huic
Vbiq; adhæserat satelles,
Quàm dederat sua pensa semper
Exacta virtus, quàm procul ambitus
Exesse visus! cedere purpura
Quando vltro Vladislauiensi
Proposuit, nisi Vaticana
Iussa obstitissent. Iamq., vices boni,
Quæ fama, Ciuis reddere, & omnibus
Præstare se dignum ministrum
Officijs, quoties vel aulæ
Vel magna poscunt munera Patriæ.
Dum per superbæ litiora Moscuæ
Non sat VLADISLAO adfuisse,
Consilijs quoq; ni iuuaret
Magnumq; bellis adderet horridis
Momentum, & ipsâ proderet indole,
Quòd & togæ possint quietæ
Belligeras animare turmas.

 Iam

Iam quanta laudis pars, calamo quoq;
Orbi probari, ac ingenij nouas
Labore demonstrare merces,
Dum quis erat, satis eruditis
Scriptis probauit, quæ manibus terit
Hucusq; mundus Sarmaticus, scholæ
Gaudentq; LIPSCIVM *Grabitam*
Egregios generásse partus.
Erit futuris materies erit
Immensa scclis, tàm benè LIPSCIVS
Ciuisq; scriptorisq; partes
Implet vbi, Lechiæq; monstrat,
Quis sit senator. Non gladij stylus
Solus triumphos auget, & ingenî
Conceptus est, & pennæ acumen,
Quæ tumidos aliquando vindex
Profligat hostes. Vulnera, quæ mucro
Fert; alleuantur: jam calamus suum
Infligat ictum; quàm cicatrix
Nulla dari poterit, cruentum
Quæ vulnus obducat. Bene; paginæ
Si tela sumunt; *Lechia si viris*
Elucet illis, quos atrox haud
Continuò trahit inquieta
In bella Mauors; sed quoq; sepia,
Sed eruditæ scriptio dexteræ
Arridet, ac vltrice penna
In medios iubet ire campos.

IOAN-

IOANNES ALBERTVS
PRINCEPS & CARDINALIS.



E Sereniſſimæ conſanguinitatis arbore ſurculus hic prodijt,
Quia & Guſtauorum inſertus Manipulo,
Et Auſtriacorum innexus Faſci.
Pulchra ſanguinis linea ab vtriſq; his auguſtalibus:
Cùm Phænicis altera raritas ſit, inter regales nidulari Purpuras:
Et non quemuis illuſtrant ejuſmodi ceræ,
Vt à gemina ſerenitatis maieſtate accendantur.
Indoles ALBERTO, quæ tantas deceret Proſapias.
Hæres ac æmulus virtutis Maiorum
Solus illuſtrem Domum feciſſet, ſi accepiſſet gloriæ ſterilem.
At Guſtauorum, Iagelonum, & Auſtriacorum ſanguis;
Quo nihil in orbe ſublimius.

A SIGISMVNDO Patre, Varmiensi;
A VLADISLAO Fratre Cracouiensi;
Ab VRBANO VIII Cardinalitiâ Purpurâ donatus;
Dum vsitato Præsulibus ritu Cathedram suam ingreditur,
Intra paucos post dies pompam aliam duxit,
Per VLADISLAVM IV. imposito capiti bireto.
Ita solitaria non est felicitas in Principum atriis:
Pompam ex pompa trahit, vbi semel intrauit Regiam.
Quasi serenissimo sanguini
Non priùs ad solem, quàm ad purpuras nasci expediat;
Nec sciat alia honoris festa, quàm primæ classis.
At superbè nimis de Principibus sentiunt,
Qui fata quoq; nihil in eos posse existimant.
Humanarum rerum stylus est, læta tristibus finire:
Maximè inter Principes
Cum quibus quantò Fortuna indulgentiùs agit;
Tantò grauiores postea indulgentiæ suæ pænas repetit.
Dum orbem exterum lustrat ALBERTVS;
In latrocinia mortis incidit,
Ne sanitatis quidem sede, Patauio, vitam iuuante;
Documento posteris:
Quòd non omnibus, & maximè Regum Filus necessariâ peregrinatio.
Principum scholam quisquis illam dixit; malè dixit:
Calamitas est; & malorum vberrima seges.
Quorsum enim foris exercentur indoles,
Si domi quoq; theatrum esse potest.
Scaldis & Tiberis frustra enauigantur,
Cum patrius Istula pari quoq; gloriæ ductu fluere sufficit.
Patrimonium ita domesticum decoquitur,
Quod meliùs domi seruari potuisset.
Minuit Regiæ famam, extra quærere instrui;
Cum ipsa, sibi orbis esse debet.

Penuriæ argumentum, si doceri non possumus nisi alibi.
At peregrinationum eiusmodi vitium est,
Quod & damnabimus semper, & semper seruabimus.
Funus ALBERTI per ANDREAM SZOLDRSCIVM deportatũ Crac:
Cineres Regum sepulchro illati,
Anno Regis Regum M.DCXXXIV IOANNIS nonnisi XXII.
Citiùs si cursum hunc finiuit,
Quid nisi miseriæ humanæ fecit compendium?
Animæ corpus sarcina est; sumitur, vt ponatur.
Idq; domi vel peregrè contingat, nihil attinet.
Alienum est æs viuere, quod putamus nostrum.
Quod debemus; soluimus.
Fænerator vbi deprehendit, ibi apellat:
Nascentium ordinem Parca non attendit.

IOANNI ALBERTO.

ODE LVI.

VEl tango cælos, vel medias vagus
Hucusq; mundi circumeo plagas,
ALBERTE dum ceras IOANNES
Tango Tuas, Lechicisq; campis,
Sis vnde, narro. Serpere debeat
Regumne sanguis per tacitas humi
Obscurus vmbras, quem Coronæ,
Adhuc ab Auis Abauisq; gesta
Quem sceptra stipant. Quantus hic orbis est,
Et Christiani quanta poli plaga,
Quantumq; non Europa tantùm, at
Americes Asiæq; Regna,
Et ampla quantùm extenditur Africa;
Tantum IOANNIS sanguis in obuios

Excurrit Orbes, & Coronis
Et dominis memoranda sceptris
Trophæa profert. Austriacos vide;
Hi magna demùm nomina quò ferunt?
Leoq; Suecorum, vetusq;
Vandalicus Gothicusq; sanguis
Quondam triumphis totius inclytus
Orbis, Latinus cui Tiberis quoq;
Se strauit, & Romam sub ipsas
Flens gemuit cecidisse plantas.
Et illa Lechis per duo sæcula
Propago regnatrix Iagelonidum:
Natalis huc simul IOANNIS
Fama venit, trabeusq; solùm
Thronusq; fulgens non popularibus
Incedit ausis. Diuite quò Tagus
Excurrit Hispanus metallo,
Quò meat Oceanus profundis
Immensus vndis; hîc Abauos habet
Auosq; magnæ Matris: & algidis
Quò Rhenus exundat fluentis;
Hîc Genitrix, Amitæ, & Sorores,
Affinitas hic tota; nec vltimæ
De fece plebis, sed diademate
Thorusq; Cæsarum corusca,
Et varijs dominata Regnis.
In orbe nil est, quod simul in Tuum
Non intret ortum magne Craci decor
ALBERTE, Principumq; proles,
Magna Patris soboles SIMVNDI

IACO-

IACOBVS ZADZIK.



JVuenis adhuc, & iam maximis quibusquè par;
Honores ante adijt, quàm ætas illa ſperare poſſet.
Promotione Bobolæ Regni Succamerarij,
Supremus Secretarius,
Oſtendit;
Quòd merita ad faſces viam præſcribunt, non anni.
Niſi horum manuductio adfuerit; ipſa etiam aberrat canities.
Iniuriam non facit ſenectuti negatus honor,
Si capeſſendo illi potior eſt iuuentus.
Vtcunq; deliberet diu Fortuna;
Deliberantis pigritiam non patitur virtus:
In ſene ſiue in iuuene fuerit; ſemper illa faſtigiis par,
Epiſcopus Culmenſis & Regni Cancellarius,
Grauiſſimis ſtatim Reipublicæ admotus negotijs.
Nati enim ad magnas res animi, nauibus ſunt ſimiles;

Non feruntur liberè, nisi è portu in altum veniant.
Ampliùs vela explicant;
Quò profundiores & feruentiores sunt curæ.
Porrò bellatum est Polono cum Suecis.
Armorum non alia causa nisi regnandi ambitio.
CAROLVS Sudermaniæ Princeps,
Dum vicariam SIGISMVNDI III in Suecia iurisdictionẽ exercet,
Dominandi accensus libidine Regno SIGISMVNDVM spoliat.
Debebat in iuris subsidium vocari ensis:
Innato Purpuris malo, vt sanguine magis rubeant, quàm murice.
Vbi victor SIGISMVNDVS noster:
Sed dum in Leone nihil vulpinum existimat;
CAROLO reconciliatus suo malo.
Frustra mulcetur anguis naturâ suâ lubricus:
Sibilabit semper; quousq; caput non obtriueris.
Plures reconciliatio, quàm professum odium perdidit.
Resumptâ dominandi cupidine CAROLVS arma repetijt.
Aucta Suecorum conspiratio, Polonia bellis inuoluta.
Adeò pessimum semper incendium, quod è cineribus recrudescit:
Quod vt vires sumat; residet.
Satisque diù Regna hæc Mars miscuit,
Donec vtrisq; augusta mens subijt, vt arma ponerẽt.
Gloria hæc Principum, si ferrum tractent vt hirones:
Paludamenti minuit famam, si vnicam chlamydem spirat:
Malè splendet Purpura; si solo sago tegitur.
E tanto tamen bellorum æstu tam facilis quies sperari non potuit;
Vt & è collisis mistisque nimiùm inter se nubibus
Non statim serenitas.
Donec ZADZICII Delegatorum Principis operâ
Pulcherrima tandem bellorum filia nata est, Pax.
Si alicubi; tunc temporis gentilitium suum Korab,
Ostendit fæderis arcam.
Verè filius tonitrui, dum bella compescuit.

Præmi-

Præmiata tanta dexteritas Cracouienſibus Infulis:
Sed galeam ille ſumpſiſſe ſe ratus, non Infulam,
Arianis Racouiæ Scholis indixit bellum.
Nec animoſior vllus Hercules aduerſus hanc Hydram,
Quod nequierant alij, ille fecit.
In tanto labyrintho nouus Theſeus,
Minotaurum vicit,
Authoritate Pontificiâ vſus; pro Ariadna.
Scholas clauſit, quas Ariana aperuerat impietas.
Illis deinde intendere voluit operibus;
Quæ aut Cælitum decori, aut pauperum prouiderent inopiæ.
Seminarium Hieroſolymitanum collapſum prouentibus auxit,
Non ignarus ex eiusmodi ſemine pulcherrimos prouenire fructus.
Tantumq; famæ ſuæ addidit, quantùm in hos liberalitati indulſit.
Augendo Cantij honori triginta florenorum conſecrauit millia;
Et hoc erat ſanctitati Cantij ſubſcribere.
Propinquis æquè ac alienis mirum in modum addictus,
Multos in exteris nationibus, proprijs fouit ſumptibus.
Nunquàm magis eisdem præſens, quàm dùm ſic abeſſet.
Curias complures & Palatia in prædijs Epiſcopalibus exſtruxit,
Et quidem Varſauiæ baſilica duo opera.
Nimirùm:
Pulchrum, ſi ex tectis ſubindè & palatio agnoſcitur,
Quàm diſtat à Principe Ciuis, à Clerico Pontifex.
Etiam fortunæ eſt, benè habitare.
Multa præterea præclara egit:
Non paginis digna ſed voluminibus.
Tot ac tantarũ impenſarũ tamen fructũ habere noluit in terris,
Certiore in cælis contentus,
Gentilitiam nauim ad portum æternitatis appellens
Præeſſe & eſſe deſijt.
Anno ætatis ſuæ LX. Christi MDCXLII.

IACOBO ZADZIK.

ODE LVII.

IGnosce, si non dixero pro Tuo
Sensu Piasecci. Nil iuueni nocet
Honoris ingressus IACOBO,
Nec Bobolæ est manifestus error,
Quod flexit Aulam, promeret vt suos
In hunc fauores. sæcula non opus
Et longa temporum theatra
Vt numeret, petit ampliores
Quicunq; fasces: Proferat indolem,
Quæ sit decoris digna curulibus,
Et sat senex est, fascibusq;
Ille pares numerabit annos.
Tàm vilis haud est pulcher honor; suos
Ad vota tardi temporis vt nisi
Dispenset è manu fauores,
Auxilium valeatq; solum,
Quod dat senectus, vel numerosior
Ætatis ordo. Pro arbitrio magis
Virtutis est honor, nec vllus
Pulchrior è trabeis, labore
Quàm partus ipso; quàm meritis nisi
Culmen prehensum. Si vnica temporis
Hic vrna disponit; Coronas
Tàm vetulæ retinere quercus,
Quàm sceptra possunt & diademata
Gestare corui: sæcula siquidem
Pro his tota, quæ viuunt, perorant,
Et series numerosa vitæ,

Negata

Negata nobis. Nil trabeæ intereſt,
Quot cinctus annis veneris; at magis
Hos quomodo egiſti: morari
Nempè ſolet miſerè, per omnes
Qui viuit annos ſegnis, & indolem
Non monſtrat actis: viuit; in omnibus
Qui, quod viri eſt, agit; nec vnquam
Vel minimâ ſterileſcit horâ.
Vtcunq; primâ ZADZICIVS tum adhuc
Florens iuuentâ venit in intimos
Illuſtris Aularum fauores,
Et retulit, monumenta magnæ
Virtutis, amplum munus; inutilis
Nil eſt quòd ingens inuidiæ dolor
Accuſet aut liuor: quod ætas
Non habuit, dedit ipſa virtus
Probata poſthac: Regni Aquilas vbi
Culmæq; mitram geſſerat haud leuis
Honoris actor, & Cracæam
Indueret quoq; qui Tiaram,
Cunctis probatus. Cùi Lechicus ſimul
Debebat Orbis, pax quod aheneis
Soluta bellorum procellis
Facta redux, poſitoq; ferro
Tam noſter Ales, quàm Leo Sueticus
Extinxit iram: nec ſonuit tuba
Immane claſſicum, vel vltra
Signa ſuis coiêre ſignis.

PETRVS



GEMBICCII dotes nisi æstimes;
In virtutem peccas, in Gratias, in Fortunam.
Patre IOANNE in GEMBICE, Matre CATHARINA CIELECKA,
Magnorum Parentum maximum decus.
E Patrui disciplina in eum formatus Virum,
Qualem omnia sæcula optare possunt, pauca habere.
Apud SIGISMVNDVM III Aulæ rudimenta nactus,
Non tam gentilitiâ Fasciâ, quàm obsequijs Principē deuinxit.
Quo mortuo in VLADISLAVM deuoluta est Purpura;
Coronationis actus indictus Cracouiam,
Vbi inter Ciuium vota Capitulum quoq; non defuit,
GEMBICCIO VLADISLAVM salutante.
Placuit bellicoso Principi Orator,

Testi-

Testimonium multis
Quia & Martem illicia Mineruæ capiunt:
Quia & suada etiam habet aliquid, quod in ea bellatores adament.
Adeoque: profuit sic GEMBICCIO perorâsse,
Nam statim in Supremum Regni Secretarium adlectus,
Vt æternâ VLADISLAI laude, ita perenni multorū opprobrio,
Qui tantùm admirari, tantùm laudare disertos;
Vt pueri Iunonis auem, nôrunt:
Vt promoueant vel munerent; procul habent.
Nec tamen stetit hic GEMBICCII eloquentia.
Alibi quoq; Tullius ille, imò & Mercurius.
Ardebat mutuis bellis Germania,
Domesticâ hâc Christianis infelicitate,
Vt domi Martē foueant, qui extra pulchriores laureas necteret.
Quasi piaculum non sit,
Si innocens sanguis sititur, & parcitur nocenti:
Principumq; inuidiam non tangat,
Cometarum adinstar Purpuras spargere
Regnis & populis fatales.
Mouit zelus VLADISLAVM, quia pacem suasit,
Non quod Gradiui pullo otia saperent,
Sed quia inBosphorū potiùs autByzantiū arma vertēda cōsuluit
Quàm vt Rhenus aut Albis inter se miscerentur.
Destinatus mentis Regiæ interpres GEMBICCIVS,
Qui ad FERDINANDVM II. legatione functus,
Redijt plenus nominis & famæ.
Commune magnis viris, fatum est,
Alio sæculo viuere, alio æstimari.
Nisi quod cum GEMBICCIO liberaliùs egit fama,
Vt simul eum experiretur, simul orbi ostenderet Virum.
Sed qui togam alijs suasit VLADISLAVS; ipse sagum induit,
Patientiam irritante Moscho,

Qui

Qui tamdiu fidei tenax, quàmdiu miser,
A morte SIGISMVNDI Smolenscum oppugnare cæpit.
Iuit in Draconem hunc cum Aquilis suis VLADISLAVS;
Armatum fulminibus Iouem comitatus GEMBICCIVS.
Phosphoros, nempe se, vel Hesperos existimant,
Quicunq; Regi seruiunt.
Non procedit vnquam Serenissimum iubar,
Nisi statim & sydera hæc comitentur.
Reducē inde VLADISLAVM triumphalis Poloniæ plausus excepit,
Procancellariatûs dignitas GEMBICCIVM.
Vt potè *non diu debitorem vult agere Honor, meritis se protinus exsoluit.*
Parata sunt egregijs viris præmia:
Virtutemq; vix aliquis possederit, statim Fortunam in censum habet.
Auctus deinde Præmisliensibus, & post maiorem Regni gēmā,
Cracouiensibus Insulis.
In animo nihil mutauit, licèt creuit dignitas.
Cæpit honores; nec intumuit.
Tanquam priuatus adhuc viueret; modestiam coluit.
Patriæ seruire pulcherrimum ratus est;
Vtquè seruiret, dedit operam.
Amiserat hæc jubar suum in VLADISLAO:
Ferale incendium passa, quod mirere, in Flauis Vndis,
Vbi tanquam & aquæ sitirent sanguinem,
Ad tragicas aquas pugnatum est.
Porrexit laboranti Regno brachia
IOANNES CASIMIRVS.
Qui dum ad Beresteciam Achillem agit,
Noua interea Hydra nascitur, Napierscius.
Timendum Reipublicæ monstrum!
Nisi tempestiuè in GEMBICCIO inuenisset Herculem.
Is venienti malo occurrendum existimans,
Missis

Missis cohortibus suis cæpit illam belluam.
Aliàs
Incendium facilè oriri potest, si in tempore non extinguitur fomes.
Cum rebellibus procedendum velut cum validis morbis;
Augentur, ni tempestiuè incideris venam.
Ergò infixus palo Napierscius:
GEMBICCIO verò actæ gratiæ,
Quòd exhibuisset ea in Infula; quæ alibi non dedisset cassides:
In Pontificio pedo;
Quod cum hasta etiam nesciret alterius manus.
Qui vlteriùs Patriæ suæ amorem testaturus,
Subsidio ejus Hastatorum exhibuit cohortem:
Quòd nosset Præsulum etiam Infulas huic vectigales:
Et non indecorum sanctiori purpuræ,
Si in Regni periculis militares Ordines confert.
Eiusmodi Ordines in Patriam collati, verè sacri, id est sancti.
Consecratio similis Pontifices omnes decet.
Verùm quantus in Patria Ciuis GEMBICCIVS,
Tantus & in Ecclesia Episcopus.
In Prouinciali Synodo
MATHIÆ LVBINIO
Graui annis Athlanti validior Alcides.
Sexagenario maior Apostolorum visitauit limina;
Certus omnino his se demittere,
Quibus sæpius Regiæ etiam lunantur Maiestates.
Habuit reuerentiam virtutis tantæ, INNOCENTIVS X.
Nisi quòd dubium fuerit:
Magnificentiamnè magis Sarmatici Senatoris,
An pietatem probauerit veri Pontificis.
Omni vitâ pauperum penus, miserabilium thesaurus.

 STANISLAŪ Martyrē ſtatuis argenteis & ſepulchro veneratu,
Baſilico omninò opere & ad mille argenti libras valente.
Reſtaurandis ſacris ædificijs, Carmelitano Diui MICHAELIS cætui,
Canonicorum Cracouienſium Collegio,
Capellæ GEMBICCIANÆ,
Canonizationi CANTII, Confeſſariorum augmento;
Eccleſiaſtico theſauro, rectis olim à ſe Eccleſijs,
Redimēdis captiuis nobilibus, dotandis pauperibus Virginibus,
Aliquot centena millia impendit.
Euchariſtico pani adamantinam CRVCEM
Quadraginta millibus æſtimatam.
Cathedrali templo
Periſtromata, argenteā ſupellectilem liberaliſſimè obtulit.
Neſciunt quippè contractam manum;
Qui dilatata habent ſpatia charitatis.
Obſtacula non nouit liberalitas;
Benefici Nili æmula
Etiamſi volueris compeſcere; magis exundat.
Innatæ beneficentiæ aliqua quodammodo famula eſt,
Expreſſa imperia non exſpectat, nutum adhuc præuertit.
At quantum eſt illud!
Pro anima VLADISLAI IV
Decem millia in perpetuum cenſum dediſſe.
Nimirùm memor plaſmatoris ſui Pontifex,
Vel mortuo Principi gratitudinem teſtari voluit.
Rarum aliàs in hominibus miraculum, beneficij memoria;
Argumentum nihil debentium communiter odio quæritur.
Habent aliquid cum fluuio ingrati omnes,
Qui quàm primùm aliquid accipit, ſtatim cum aquis abire patitur.
Hinc nō potuit diſſolui in altera quoq; vita VLADISLAI manipulus,
Quem ſic GEMBICII Faſcia pio legato ſtrinxit.
Alter hic cæli clauiger,

Emor-

Emortuo Principi aureâ claui aperuit astra.
Ne diutiùs detineretur in piacularibus flãmis VLADISLAVS.
Tã pretioso imbre easdem restinguere ausus GEMBICCIVS
Ad cæleste Capitolium euehendo,
Triumphalem instruxit currum,
Vbi tot argenteas circularis metalli rotas adaptauit.
Facilè ad Elysios campos euehi potuit vitâ functus Monarcha;
Pro quo sufficiens naulum prouisum Cælesti Portitori.
Arctâ licet obsidione cinctus,
Expugnare citò potuit supernam illam Olynthum,
Cui præstò in suppetias aureus à memori Pontifice asellus:
Absq; argento PETRVS Apostolus olim
Sanâsse claudicantem contentus;
Liberalior in VLADISLAVM PETRVS noster,
Cui aureum porrexit fulcrum;
Ne ad speciosam cæli portam cespitaret.
Adeo *nôrint beneficiarij omnes*,
Et ad sepulchralem arenam pullulare posse gratitudinis herbam.
Mori demùm noluit tàm bonus Antistes,
Nisi priùs captiuam in triumpho mortem duceret,
Vbi vivus adhuc monumentum sibi posuit,
Anno Dñi MDCLIV. IV Idus Octobris
Ipso natali die, Ætatis verò suæ LXX.
Vltimas eius tabulas scire desideras;
In pectore inuenies.
Vt viuens enim Catholicæ fidei studiosissimus,
Ita moriturus professionem eius in argenteis tabellis exaratam
Suo pectori appensam in tumbam deponi voluit.
Sanè præstitit CHRISTO, quod erat PETRI,
Etiamsi oportuerit me mori, non Te negabo.

Fides

Fides ex auditu cum ſit;
Pro pectorali horologio poſt fata etiam GEMBICCIO ſonuit.
Siue aliud pectorale dixeris;
Quod in algida nimium mortalitatis hyeme
Egregiè lethali gelu conglaciatum Pontificis pectus calefaceret:
Vel quod Fidei fax hæc erat in proprijs aſſeruata cineribus;
Vt duraret diutiùs.
Vel aduerſùs animi hoſtē; tot argentei vmbones, quot paginæ.
Denique in illam patriam deuenturus;
Ne aliquod haberet impedimentum,
Pro longa æternitatis via
Liberi paſſûs accepit quodammodo literas:
Ac vt felici ad cæleſtem gloriam viatori maior haberetur fides,
Fidei patentes ex congregatione Fidelium præſentauit.
Glorioſiùs certè ex vita hac proſcribi non potuit,
Quàm tam triumphali charactere.

PETRO GEMBICCIO.
ODE LVIII.

NOn ſemper Aulis, non populo fuit
Accepta virtus ſemper: ab vltima
Sæpè illa reprobata plebe,
Quæ dominæ placuit Coronæ.
Te PETRE ſolùm gloria poſthumo
Commendat æuo, quod poteras Tua
Ambobus his probâſſe facta,
Tam populoq; placere, magnum


Quàm

Quàm præsidentûm quærere Principum
Felix fauorem. Regni Aquilas geri
Hem! quantus est fomes malignæ
Inuidiæ, miseriq; quantus
Liuoris ignis! Mille tonitrua
Penes ministras fulminis alites
Sentire dum debes, aperto
Si Dominis famularis ore,
Vulgumq; transis: vel popularium
Si quando rerum plùs nimio es sequax,
Omnino lædis Imperantûm
Sceptra miser, grauidæq; Regum
Te subdis iræ: vel properis honor
Si quando magnas excitat indoles
Inuectus alis, ac cupido
Cum studiis venit ambientis
Suprema voti. Quantus hic est labor!
Dum feruet huius, feruet & illius
Immanis ardor assequendi,
Vt teneas vtriusq; læsum
Nequaquam amorem. Splendet hic heu honor!
Sed vnà & vrit: ceram vbi si apprimis
Vnius ad votum, paratam
Alterius patieris iram.
Te PETRE tantùm liuor inertibus
Non cribrat alis, Te inuidiæ furor
Ignisq; non absumit ipsum,
Dum populi studia & Thronorum

Felix

Felix tenebas, dum Tibi lubricæ
Horrendus Aulæ non tonuit fragor,
Fauorq; Maiestatis ille
Nec modicâ titubauit horâ:
Immane mirum est, prodigialius
Et pænè monstrum, si trahitur diu
Et viuit Aularum senectus,
Cùm vel amor domini fauentis
Hîc sæpè languet; deijcit æmulus
Vel de Patronæ culmine gloriæ
Plerumq; delator, dolentis
Non moriens odij minister.
Quàm vero mirum hîc viuere longiùs,
Nec posse lædi; tam speciosior
Sementis est omninò famæ,
Si quis iter vacuum perîcli
Absoluit istud. De patrio Tibi
Vt vt stat ingens gloria stemmate
O! magne GEMBICCI, canoræ
Prima tamen Tibi pompa laudis,
Probari & Aulis, & placido frui
Amore vulgi. Cracus eburneis
Hinc vectus axibus fauenter
Præsuleam Tibi dat Tiaram:
Fortuna ad imas hinc Tibi sternitur
Submissa plantas, famaq; non pigram
Professa seruam, Te Tuasq;
Grandiloquo canit ore dotes.

ANDRE-



MATHIÆ LVBIENII plaſmatio
Eò generosè enititur, quò *Auunculus excitat Hector.*
Romæ diuinioribus excultus ſcientijs Profeſſores illos habuit,
QuibusCardinalitiæ poſtea purpuræ ſubmittere ſe nō dubitârūt.
Plocenſi Scholaſteriâ ornatus ab VRBANO VIII.
Dum adhuc Scholaſticæ Theologiæ daret operam;
In medio ſtudij curſu honoris ingreſſus Olympia.
Grande id ad famam momentum,
Iuuentutem adhuc à Supremo in terris ornari Vicario;
Cuius ſuffragium non quæuis habet canities.
Firmo & TRZEBICCIANÆ dignitatis fundamento,
Quod PETRÆ illi inſiſteret:
Et gentilitij Oloris famâ,

Quod

 Quòd pro veneratione eius Capitolinus quoq; excubaret Anser.
Cùm è suo calamo haberet, quod orbi ostenderet,
Alienæ tamen gloriæ plus velitare voluit,
STANISLAI LVBIENII scriptis in lucem editis.
Vindicaturus ab obliuione Antistites Plociæ, LVBIENIVS
Cùm pridem factis expresserit, etiam verbo expressit:
Sapienter existimans non ampliùs habituros lucem,
Nisi illos eruditior prodidisset stylus.
Non enim magis ab anima viuitur, quàm à calamo.
Qui perpetuus Orator etiam dum tacet, loquitur:
Qui dum Epitomen gestorum concinnat
Reconditos etiam manes ab obliuione vindicat.
At dubium est,
Prædecessoribus suis plusnè tribuerit LVBIENIVS,
An LVBIENIO TRZEBICCIVS:
Vbi priuatam LVBIENII operam publicam reddidit.
Tam meretur laudem, qui scribit;
Quàm qui scripta sepelire non sustinet:
Prælumq; non scribentis tantum famam loquitur,
Sed & prælo committentis.
Aliquantisper Capitolinis Anseribus conuixit hic Olor:
Donec ad Polonas Aquilas redijt:
Vbi in Primatiali Curia Cãcellarius, signaturæ Regni prælusit.
Ad Imperiale Comitium Ratisbonã Extraordinarius Legatus,
Leopoldum & eligendum suasit, & electum vidit.
Libenter auditus; quia omnis in ipso locuta suada:
Libenter visus; quia ipsa spectata virtus.
Vultu ostendit maiestatem, animo indolem.
A morte VLADISLAI Poloniarum Rex factus
IOANNES CASIMIRVS.
Qui ita suscepit sceptra, vt clauam non poneret:
Purpu-

Purpuram induens non absquè sago:
Et caſſidi potiùs Auguſtum caput parans, quàm Coronæ.
Vnde Maieſtatis negotia poſcebant viros,
Qui nutantem CASIMIRI Fortunam fulcire noſſent.
TRZEBICCIVS è primis Miniſtris,
Qui turbulentiſſimo tempore
Regni Procancellarius & Præmyſliæ Antiſtes,
Aduerſis magis Principis ſui vſus, quàm proſperis.
At in turbidis quoq; CASIMIRO teſtatus,
Quòd eſſet ANDREAS.
Non abſcondit virtutem nec alliſit, pulchrius exiſtimans;
In caſtris Fortunæ vitam agere, quàm in delicijs.
Quanquam nec hæc ſub dio ſemper ſeruauit.
Non continuò horrendùm ſonat Fortuna;
Remittit aliquando de crudeli claſſico.
Poſt expedita pericula arripit iter, quod citrà laſſitudinem conficiat,
Et vbi ſatis errauerit, proſperè tandem nauigat.
Vnde quietioribus CASIMIRI rebus
TRZEBICCIVM etiam Cracouienſis Infulæ excepit felicitas.
Qui honorem tantum adeptus, virtutem illuſtriùs habuit.
In ſummo faſtigio par omnibus,
Et hòc tantùm cæteris maior, quò melior.
A Clero omnis virtutis exactor, timeri meruit, & amari.
Cathedrali Baſilicâ non ſolùm ampliſſimè ornatâ,
Sed etiam excitatâ ibidem ſumptuoſiſſimè turri
Oſtendit in pinnaculo templi,
Non ciconijs tantùm eſſe locum, ſed & Oloribus.
In ſenatu eius ſententiæ ſemper, quæ virum oſtenderet.
Vbi neruum in hoſtem Patriæ exigeret neceſſitas,
Claſſica non ore tantùm, ſed & ære ſonuit.

 Abdicanti diadema CASIMIRO lachrymis pænè obſtitit,
Quibus vbi nihil profecit,
Immoti in ſuo propoſito Principis votis
Indulſit magis, quàm conſenſit.
Quòd aduerteret cum alijs oculatioribus Argis
Malè eum è ſinu Patriæ dimitti,
Qui omnium ſuffragiis fuiſſet ſemel aſſumptus ad Purpuram.
Magna Regnorum felicitas eſt, bonum Principem reperiſſe.
Sæculorum ſunt opera, quicunq; verè & bene regunt.
Quem tamen retinere non potuit viuum;
Retinuit mortuum TRZEBICCIVS;
Cum Regios CASIMIRI cineres è Gallia in Poloniam
Proprio ſumptu deduci curauit.
Teſtimonium relicturus Orbi,
Polonorũ in Reges ſuos amorem non ſolâ contineri Poloniâ.
Ampliores hic aqud nos habet limites;
Nam vitæ tantùm ſubduci poſſunt Dynaſtæ Sarmatici,
Non Ciuium amplexibus:
Terræ ſubtrahi, non ſubditorum gratitudini.
Vtcunquè naturæ concedant;
In memorum tamen pectoribus æternant ſemper.
Sub MICHAELE I
Diuiſis Regni Comitijs maximus concordiæ author.
Ne vileſceret Corona, curauit vnionem.
Non ſatis felicem ratus Patriam absquè hâc gemmâ.
IOANNEM III in Regem nominauit,
Et hoc erat ingentis fortunæ ſuo eum ore protuliſſe,
Quem coronandum omnes Cæli tonuêre.
Suauiùs non potuit ceciniſſe hic olor,
Quàm dum ſic cecinit.

Nihil dixit, nisi Gratias, dum IOANNEM.
Cataphracto vexillo Patriæ militiam auxit.
Nouit nempe cygnus
Non Apollinem tantùm sed & Martem vehere.
Alibi cantator funeris ipse sui, hîc etiam hostium,
In Diœcesi denique sua non Cyclops sed Argus,
Si quid deesse vidit, prouidit.
Vir maximis Episcopis par,
Et in quo prisci illius sæculi Pontificum
Quædam Maiestas resurrexit & dignitas.
Mortuus tandem anno Domini MDCLXXX
Ætatis suæ LXXII.
Et ad SS. PETRVM & PAVLVM
In Cracouiensi Societatis IESV Basilica sepultus.
Seu fraternus erat in PETRVM amor, quia illuc festinauit:
Seu quòd vel post fata adhuc à IESV,
Cui Societas illa militat, hic ANDREAS dici sibi crederet
Veni, sequere me.

ANDREÆ TRZEBICCIO.

ODE LIX.


CAntator olim Cygnus erat sui
Hucusq; busti & funeris; at modò
Et me parentalis requirit
Obsequij noua cura, pulchra
Quod reddo vel nunc pensa TREBICCII
Honori, & altæ sat memor indolis

 Vel

Vel posthumas decanto laudes
Ad Lechicas celebrator oras.
Frustra studemus quærere nobilem
Virtute famam, si nisi quàm diù
Hæc vita durat, fama nostris
Velificat speciosa factis;
Nec fas, vt vltra possit ad vltimos
Ferri nepotes: Sat modicus nimis
Est terminus limesq; vitæ,
Quem breuibus peragramus annis;
Plures requirit gloria limites
Et fama plures, si cui debitas
Panegyres texit, sub ipsos
Gesta vibrans manifesta cælos.
Nec est quòd ingens se comitem ferat
Fortuna nobis; quòd manibus mitræ
Vel sceptra se demum superba
Insinuent, opulensq; nostros
Quòd vel lacertos purpura vestiat,
Vel multa fundat se famulantium
Caterua seruorum, supellex
Diuite quòd comitetur ostro:
Quòd mensa pleno quotidie affluat
Offusa Baccho: luxus in aureis
Quòd regnet insolens patenis;
Si egregium paritura nomen
Non est superstes fama; nec amplior
Fortuna prodest. Hic stimulus graues

Persua-

Persuadet omnino labores;
Sanguineo quoq; quòd frequenter
Sudore manat frons, vt in vnicam
Venire laudem possit, & in suo
Æstu fatigata vniuersi
Notitiam mereatur orbis
Acerba vel post funera. Nec piget
Spreuisse vitam, si memor hanc dein
Laus pensat, & fasti sequentes
Continuos recitant ad annos.
Nec Te IREBICCI pro Patria Tua
Et CASIMIRI Principis integræ
Sudâsse pænitet Corona,
Ac Aquilas tenuisse Regni
Tunc, nostra cum Mars iret atrocior
In Regna & vrbes. vndiq; defluens
Cum tristis armorum procella
Pæne thronum pepulisset, ac trux
Instaret hostis. Nam Patriæ dabas
Nam quidquid Aulæ consilij, memor
Æternitas id totum, & ipsa
Fata suo inseruere libro.



OPeri impoſitum finem credebam ; principium eſt.
IOANNES MAŁACHOVIVS
Grandis rerum ſyllabus.
In cuius laudem quidquid dicitur, parum dicitur.
Quò magis argumento rerum augetur ſtylus,
Eò magis rerum obruitur pondere.
Vnus collecta tenet, quæ diuiſa beatos feciſſent multos ;
Virtutibus ſuis & felicitate id meritus ,
Vt quo natus eſt & viuit ; eodem celebretur æuo.
Siue prudentiam examines , ſiue facundiam ,
Formatus in ſæculi ornamentum.
Sanguine Illuſtriſſimus,
Niſi quia *præpoſtera hæc laus, iactare ſanguinem ,*
Quando maior è virtutibus ſplendor.

Al natalem gloriam pertinet,
Vt non solùm ex prima nobilitate, sed etiam Vir sis.
Penes Principes prima politioris vitæ principia habuit.
Pulchrum enim,
Si in Principum aulis, tanquam in vera & liberali schola
Tyrocinium ponitur publicæ lucis.
Ibi noscuntur noctuæ;
Vel quos in Aquilas generosior educauit indoles.
IOANNIS CASIMIRI Manipulo Fasciam suam adhibuit.
Nec tam culmos nexuit, quàm dominantis cor.
Gedanensium, Elbingensium, Mariæburgensium
Homagijs recipiendis Commissarius,
Ad Principes exteros Legatus
Statim, quis esset Regio iudicio, patuit.
Plerumq; peruersam rationem fortuna instituit,
Vt in multorũ opinionibus prope sit ad egregij animi indiciũ,
Arceri à Regijs, aut in illis iacere.
At miserè nimis sentit,
Qui grandes animas hîc non suadet cognosci.
Illustrius theatrum non est, quàm in Principum negotijs.
Serenissimis nominibus probari;
Non vmbratilis animi est argumentum.
Nec Hercules absq; Nemea, nec Ciuis bonus absq; rerum vsu.
Qui meliùs non discitur, quàm in Maiestatum obsequiis.
Mogilnicensi Pedo & Referendariatu Regni ornatus,
In tantis honoribus pluris amorem sui, quàm cultum fecit.
Dignus vtroquè, quia neminem despexit.
Ab aulæ tumultibus sanctæ secessionis studiosior,
Allaborauit omnino,
Nè plus iuris ac spatij humanis curis daret, quàm æternis.
Nouit nempe *vera virtus in negotiorum etiam arduis*
Invenire tempus pietati:
Solicitudinibus sæculi nihil ampliùs concedere,

Nisi quod prima statim recollectio recipere possit.
Quantum venerationi cælitum tribuerit,
BIELSCII erecta sumptuosè basilica testatur.
Adeò *in Superos etiam extendi didicit munificentia,*
Quæ hominibus non contraxit manum:
Gentilitia quoq; Fascia conuolui non sustinet,
Quam innata liberalitas explicatam semper habet.
CASIMIRI, LVDOVICÆ MICHAELIS
Coronatorum Capitum testamenti executor,
Testatum reliquit, qui de eo Principum sensus,
Vbi supremum etiam, trium Maiestatum, VELLE
A dispensatrice ipsius pendere voluit manu.
Non cuiusuis aliàs aquilæ est, eiusmodi probari solibus.
Priuata nimis numina, Maiestates, non omnibus se pandunt,
Vel in ipso occasu sui adhuc iuris esse desiderant.
Adeoq; vltimas post vitæ naufragiū tabulas
MAŁACHOVIO credidere Regij manes,
Vt illas cælesti inueheret Eridano.
Certi iam posito Poloniæ diademate æternæ se candidatos coronæ,
Si Agnum sequerentur, quem indicaret IOANNES:
Nec à superno excludendos choro,
Si iubilum æmularentur, quod vox clamantis intonuisset.
Nulli certè iustiùs aureum Regij pectoris vellus tradi debuit,
Quàm illi, cui velleris portitor Agnus præstò semper.
Si lucem ex sui sequacibus metimur tenebris,
Sanè MAŁACHOVIVS par Serenissimis,
Quem Regales vltro ambiunt VMBRÆ.
Sceptra interim obtinuit IOANNES, quo nemo maior.
In Polonia Tertius, in Orbe Christiano Primus.
Et qui è Ciue, Patriæ Pater, Famæ Classicum dedit
Non voce clamantis, sed Martialibus tubis.
Optabat Polonia coronatum spectare,
Quem ad Coronas elegit,

Sed

Sed purpuram is omnem excuſans,
Mereri maluit, quàm coronari.
Dilato ad biennium diademate aſſumpſit galeam,
Clauum Regni poſtponens Ducali Clauæ.
Secutus eſt Auguſtum Martem MAŁACHOVIVS,
Monſtraturus Principi,
Quòd non ad Regiam tantùm, ſed ad campum ſciret ſequi.
Vbique expeditionum indiuiduus Comes,
Leues credidit tanto ſub Rege labores.
IOANNIS nimirùm eſt mollibus non præcingi.
Eò deinde deuentum, quererentur vt omnes
Electo ad Purpuram Principi paludamentum ſerò dari.
Indicta Cracouiam comitia coronando Capiti,
Sed & MALACHOVIO ſimul Pontificijs Infulis ornando,
Qui ijsdem Comitijs, quibus inauguratus Rex,
Ad Culmenſem Nominatus Mitram.
Verecundante quodammodo Principe Sceptra capere,
Niſi ſimul & emeritus Ciuis Pontificium pedum.
Magnum id faſtigium, niſi MALACHOVIO eſſet primò gradus.
Nam cōuenientibus poſtea Grodnā ſaluti Patriæ Polonis & Lithuanis,
Sigillarem Regni gemmam accepit.
Mel alias ſylueſtre olim IOANNI in obſonium datum,
IOANNI MAŁACHOVIO ſignatoriæ ceræ in virtutis præmium,
Nouo, ſed fortunatiori Pericli,
Quia non in imo Oceani fundo, ſed Iordanis ſui fluento
Regni annulum expiſcatus.
Enimuerò æmula eſt Diuini Verbi Sarmatica facundia,
Vt illud, ita & hæc faſcijs conſtringi geſtijt.
Teneriùs certè locuta nunquam,
Quàm cum his ſe inuolui paſſa tænijs.
Gratulata ſibi ſuada, quod hoc ore peroraturam ſe ſciret,
Sereniſſimusq; IOANNES gauiſus,
Quòd IOANNES ipſemet per IOANNEM etiam dicere poſſet:

Et hoc erat bonitatis in Regum maximo;
Quòd cum alibi hostium sit fulmen;
Ciuibus suis Gratia voluerit esse: nec loqui, nisi per Gratiam.
Documento alijs Principibus,
Quòd *Maiestas nisi Gratiarum nutriatur lacte, Maiestas non est.*
Thronus esse desinit, qui fauores non dispensat.
Beneficiorum parsimoniâ deturpantur Sceptra.
At ampliùs aliquid in MAŁACHOVII fauorem molita Fortuna.
Ad Cracouienses Infulas
Ius à meritis, suffragium accepit à Principe.
Felicitas hæc Regnorum,
Vbi benefactis non ex conscientia tantùm merces,
Sed etiam parata sunt præmia.
Et vbi testudinibus non vehitur Fortuna, quando virtus talaria adhibet.
In tanta Cathedra vt se IOANNEM ostenderet verè missum á DEO,
Missionarios vt antea Culmæ, ita iterùm fundauit Cracouiæ,
A notabili instituti Cleri fructu
Sanctiores potiùs Messionarios, quàm Missionarios.
Et certè in beatioris vitæ stadio
Bene progredi possunt spirituales Stadiodromi,
Vbi MAŁACHOVIANA succincti Fascia expeditiores ad cursũ redduntur.
Tenẽtibus lucernas ardẽtes ad illuminationẽ ingenij cinctoriũ defuit,
Ac proinde illud ex tam nobili vitta prouisum.
Verè Fundatorem piæ huius Congregationis PETRVM,
Qui in Missionibus irrequietis ambulabat, vbi volebat,
Alius præcinxit, nempe MAŁACHOVIVS.
Nec satis est per hos de Superis meruisse,
Cracouiensi quoque Vauelo Lilia prouisa:
Religiosa magni illius Salesij soboles
Visitanti MARIÆ militans.
MARIÆ nimirùm est,
Aut MARIÆ seruientium ad IOANNEM invisere.
Et hoc basilicum omninò virtutis opus

Colo-

Coloniam ijs erigere, quas DEVS elegit.
Ne vnica Vanda gloriaretur Cracus,
Plures easq; castiores prouidere Viragines.
Adeoque non cælestem tantùm, sed & IOANNIS Agnum
Sequuntur Virgines, quòcunq; ierit.
Baptista olim IOANNES visitaturum nos Orientē ex alto prædixit,
IOANNES MAŁACHOVIVS visitantem induxit Auroram.
Quæ aliàs abijt in montana cum festinatione,
Penes Cracouiensem stetit Vauelum.
Et ne sola fulminum administra ales
In gentilitijs Cracouiæ daretur turribus,
Mitiores quoque introductæ columbæ.
Pulchrè omninò religiosis Sanctimonialium velis
Circularis Fasciæ quadrat peripheria:
Quæ deuotas Numini famulas nunquam non tenebit,
Tanquam perpetuum Pontifici affectûs vinculum.
Tám sanctæ liberalitati intentum MAŁACHOVIVM
Patria etiam requisijt.
Vectigalis huic est, quisquis verus Ciuis.
Exarserat fatale gentibus Sydus, Othomanica Luna,
Paratum Viennæ incendium, sed quod & Polonia non effugeret.
Bellum quippe Bissurmanicum flammæ instar est:
Quæ vno excitata in loco;
Mox alia & vicinas sæpe domos corripit.
Expedierat atterere cristas erecto nimiùm in cornua Planetæ:
Sed plenū timore Mahometi nomen Christianā morabatur fortitudinē
Iuit tamen IOANNES III, & cum hoc Polonæ Aquilæ:
Spartana Virtus aduersus barbarum Xerxem.
IOANNES MAŁACHOVIVS
Præter pedestres copias Cracouiensi præsidio,
Hastatorum nobilissimam cohortem exercitui submisit,
Ductore STANISLAO MAŁACHOWSKI Opocnensi Præfecto.
Egit ibi STANISLAVS omnia, vt tanti Patrui Nepos,

Non ignarus, quòd *natalium vulgator est campus*
Quòd illustrem originem nemo magis probat,
Quàm qui non tam Maiorum cineres, vt Martialem monstrat puluerem.
In gentili verò illius Fascia fatalem nodum reperit
Othomanica Luna:
Nunquã MAŁACHOVIANIS splendoribus è diametro opposita,
Quin statim inglorium lucis suæ pateretur deliquium.
Frigidam sanè in hac zonam exp rta sunt Thracum pectora,
Postquam uel in medio æstuantis Gradiui feruore,
Panico gelu rigebant.
Nec magnanimis ausibus defuit vnquam Fortuna:
Vtcunq, hæc angustis alibi se coarctet limitibus;
Hîc nec metas rerum, nec tempora posuit,
Quia in natiuo circulo nec principium habet, nec finem.
Pugnante verò ad Viennam Christiano Marte
Cælum etiam precibus expugnabat Cracouia.
Vigilantissimi Pastoris ductu,
Qui solennibus supplicationibus indictis monstrare voluit,
Quantùm ad bella momentum, pietas.
Et abijt in templum Regia, in solitudinem Aula,
CASIMIRA MARIA fundente lachrymas,
Vt Augustus Maritus hostes funderet.
Solicitatus DEVS pecuniâ, vt in victoriam concederet.
Serenissimæ Principi flexa genua,
Ut Othomanicus etiam lunaretur Planeta.
Gauisus verò MAŁACHOVII Zelus,
Quòd vt tantùm deuotioni classicum dedit,
Statim Regnatrix Camilla stetit in campo pietatis.
Certus meriturum stipendia reliquum populum,
Postquàm tanta Herois dedisset nomen prior:
Secutura reliqua Castra, vbi augusta Tomyris præcessisset.
Hucusque tamen de Te, nihil ad Te,
PRINCEPS CELSISSIME.
Alloqui verecundiam tuam timueram,
Ne adulationem diceres, quæ veritatis est confessio,
Quanquam procul id ab ingenuo calamo, bene gnaro,
Quod *adulatio Satyrâ peior,*

Summi

Summis & nobilissimis hominibus dum abblandiri intendit,
Plerumque illudit.
Despicitur omnis scriptio, si commendationem
Non tam à veritate, quàm ab assentatione exspectat.
Nihil ego ampliùs in laudem Tui;
Cuius fauores potiùs scribet calamus, quàm panegyres.
Vbique tu scholis pijs IOANNES es, id est gratia.
Effecisti vt Cracouiæ sciremur esse:
Vbi capella nouissimè de tuo consensu aperta
Tui in Nos affectus templum testatur.
Et campana publice sonare permissa, beneuolentiam æternùm tonat.
Non rependemus aliter tantum beneficium;
Nisi quia libenter debebimus.
Et annalibus id nostris inscribemus,
Quòd per quem verè Cracouiam venimus,
MAŁACHOVIVS fuit, cui nomen IOANNES.
Ita tamen beneficentiam hîc testatus es,
Vt eam vlteriorum fauorum gradum velles, non terminum,
Adhuc tu vlterius pandes beneficum sinum:
Admittes in Fasciæ peripheriam, nec illam contrahes,
Donec totum impleat orbem.
Semper enim noster es,
Cum fortuna amorem vt crescere hactenus fecisti, ita & facies,
Quò fastigijs maior, eò in nos inclinatior.
Relinques nobis hanc beatitudinem, quia tui erimus.
Augebis Cracouiæ, fouebis Radomiæ,
Palmarium id destinantibus Tibi fatis, quod alijs negatum est,
Tenebis in pectoris domicilio Pauperes Matris DEI,
Quia IOANNES es
Nos verò Illustrissimo Tuo obligati Nomini
Testabimur calamis, quantùm de gratitudine nostra es meritus.
Consecrabimus ingenia, cui affectus iam mancipauimus.
Erimus Plinij benefico nostro Traiano.
Quòd si & hæc exsolutio non sufficiet,
Permittes id saltim, quia, quod omnem vincit gratiam
Æternùm & coram DEO, & coram hominibus
BENEFICIVM ÆSTIMABIMVS.

IOANNI

IOANNI MAŁACHOVIO.

ODE LX.

SI quid probato pollice comptiùs
Attacta nosti dicere barbitos,
Hîc prome, MAŁACHOVIANÆ
Seruit vbi mea Musa scenæ.
Egonè tantæ non memor indolis
Tacebo Vates? spectat ad integros
Quæ scire cælorum Triones,
Quæ innumeris manifesta mundis
(Plures, nec vnus si dabiles forent)
Reddi deceret. Non humili venis
Magne o! MAŁACHOVI cothurno:
Fama Tibi comes ex auitis
Immensa ceris; non ab inanibus
Et pulchra factis gloria nobilem
Hinc inde reddentes fragorem
Perpetuis famulantur horis.
At verò mecum nescio quid noui
Molitur ales Pegasus, vt supra
Obliquos volaturum coluros,
Et gelidas Aquilonis vltra
Me ducat oras: vt Zephyros super,
Super minacis fulmina Penei
Nimbosq; inaccessosq; tractus
Et grauidæ simulacra nubis
Impunè magnis passibus euehat:
Nec inquieti murmura Nerei
Austrumq; bellacemq; Caurum
Æolias timeat phalanges.

Ibo, citatus quo vehit aliger
Caballus alis: ad iuga Caucasi,
Ad canum Atlantem, vel coruscis
Quâ resonat Iouis Aula nimbis.
Tu MAŁACHOVI mecum in eburneo
Vehêre curru. Scit vel in hospitis
Patere tectis, quem beatum
In gremium generosa virtus
Admisit vltro: *scit Latias vehi*
Vsq; vsq; in Alpes, fama volucribus
Addicta quem portat quadrigis;
Nec tacitas hiat inter vmbras,
Qui magna factis nomina promouet.
Et Tu remotis Æthiopum plagis,
Vel si quid vltrâ est, MAŁACHOVI
Ex proprijs recinêre factis.
Dicetq; virtus ipsa, quid omnibus
Egisti in annis: quæ, placidos fuit
Fortuna tot Regum fauores
Firmo vbiuis tenuisse nexu:
Dum CASIMIRO, dum KORIBVTIDI
Lunæ probari, dum quoq; Tertio
Quo maior est nemo, IOANNI, ob
Eximias placuisse dotes
Par pæne magno prodigio. Integro
Nil quippe mundo rariùs, aulicæ
Senecta quàm vitæ. *timendis*
Oceanus patet hic procellis.
Hinc quòd Tiaram Culma, Cracus Pedum
Gemmamq; Regnum quod Lechicum dedit

Tibi

Tibi sigillarem, probatæ
Clara satis documenta sunt hæc
Virtutis in te. Scimus enim, throni
Et sceptra Regum quomodo, quomodo
Scrutantur Aulæ, scimus, isti
Vt penitus penetrare totum
Nouêre soles. vt sua quemlibet
Regum fauori promouet indoles;
Augusta sic dignos adornat,
Immeritos reicit Corona.
Quàm verò pulchrum Sarmatico throno
Regnisq; nostris sic MAŁACHOVIAM
Ornâsse Fasciam, trecentis
Quæ obsequijs eòusq; mundum
Stringit Polonum. Mars Othomanicus
Horrenda nobis prælia barbaro
Indixit ausu: Christianæ
Intererat pariter saluti
A se ferocem pellere belluam,
Nec ferre Thracis fulmina, quæ furor,
Ingensq; Regnorum libido,
Quæue ferox pariebat ira.
Iuit IOANNES Tertius, & cum eo
Is MAŁACHOVI, subsidiariam
Submittis huic postquam cohortem,
Threijciusq; probauit hostis,
Quid noster Aiax cum Clypeo suo,
Polona pubes quid sciat; & Tuæ
Quid ferre quid non ferre possent,
Haud modicè patuit, phalanges.

Hinc Austriam quòd barbarus helluo
Non hausit vrbem, toti Alemaniæ
Nobisq; vicinisq; regnis,
Quòd populis populator ingens
Cristas remisit, quòd capitis minor
Remansit Hæmus, quódq; Othomania
Edocta tandem est posse vinci,
Ad Lechicas trepidatq; vires;
Vt prima nostri gloria Principis,
Secunda sic laus est Procerum, & Tua,
Quem Episcopalis Ordo quamuis
Et sacer eximeret character
A mole belli; non Patriæ tamen
Extincta cura est, non reuerentia
Magni IOANNIS, militares
Vt proprio statuisse sumptu
Neruóq; nolles promere copias.
Sic quidquid actum est militibus, Tuo
E Fratre sic quidquid Nepoti;
Tu meritæ quoq; pars coronæ,
I MAŁACHOVI magne, vel exteris
Noscendus Afris. Si quid ego, mea
Si penna quid potest; Homero
Tu mihi eris celebrandus ingens
Abhinc Achilles: Alter Honorius
Tu Claudiano. Si quid ego, mea
Vel Musa si quid; vniuersi
Te chronico insinuabo mundi,

PATRIARCHÆ SVO & PRIMO PATRI

Venerabili DEI Seruo

JOSEPHO CALASANTIO

SCHOLARVM PIARVM FVNDATORI

Pro sexta Antistitum Cracouiensium Decade

EVCHARISTICVM.

TAnti Patris enim vix ero Filius,
Ni promptam referat dextera paginam,
Solennesq; rependat
Supplex sepia gratias.
Pauper miles ego; Dux CALASANTIVS;
Quidquid de meritis extat adoreis,
Omnem Dux cape palmam,
Actum est auspicijs Tuis.
Tu Nauarchus eras, si vada transij,
Si Scyllam rapidam, si Acroceraunia;
Nauarchi decus omne est
Et non remigis infimi.
Concinnaui operam, filaq; texui
Ast is Tu Phrygio, qui gereres manum:
Non ergo mihi quidquam,
Sed totum CALASANTIO.
Sic pòst quidquid agam, non mihi sed Tibi
Cedet magne Pater. Tu calami, meæ
Tu director opellæ,
Tu scripti dominus mei.

Peril-

PRÆLATIS ac CANONICIS
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis
PANEGYRIS LYRICA.

ERgo Infulatos dum cano vertices,
Craciq; dignas non sinè debito
Cultu recenseo tiaras,
Pieriæ perhibere Musæ
Et me tributum non piget: inclyti
Censumq; vobis pendere nominis
O magna PRÆLATI, & decora
Craciaco super orbe fulcra.
Credetis? io! credite, Lechicum
Ascendi Vauelum, cûi Nomius suos
Submittit & Cynthos Apollo,
Non aliumq; petit Latina
Camæna Parnassum. Hîc ego grandibus
Inscribo saxis nomina; posthumus
Quæ voluat orbis, quæ diserta
Grandiloquo canat ore Fama.
DECANE CIENSKI primus vt ordine
Sic prima duces signa. TREBICCII
Vtcunq; Te sanguis propinquus,
Ac ab Auis Abauisq; ducta
Propago monstret non tenuem Virum;
Vix æstimabas hanc genesim tamen,
Ni propria virtute magnas
Adijceres cumulare ceras.
Is iam per amplæ compita gloriæ,
Feresq; magnis nomen honoribus
FRANCISCE PRAZMOVI. paternæ
Hos soleæ Tibi, nostra signant
Hos vota passus: hoc iter arripi
Astrea mandat, quam diu in integro
Mundo vagabundam ad Polonas
Das toties remeare terras.

Nec tu PĘGOVI non caput euehes
In celsiorum culmina fascium ;
Quos facta, natalisq; splendor,
Quos probitas tua pollicetur.
Te verò quonam nomine prædicem
O! magne OBORSCI, cûi propriam dabat
Mitram Leopolis, Crucemq;,
Ni potiùs generosus omnes
Spreuisse malles, quàm capere arrogans
Honoris arces. Tu Lechicis novum
Virtutis es terris theatrum,
Scena probæ noua tuq; vitæ.
At Gryphe vectus per medios vola
Cælos BYKOVI. non amat infimos
Gryphs iste colles, eminentes
Sed properus subit vltro montes;
Natiua virtus quò trahit, indoles
Quò ducit alti conscia sanguinis,
Exempla quò vocant Auorum,
Quò eximii præeunt Parentes.
Nec ROZRAZEVI promeritos Tibi
Negat triumphos Fama, domestici
Cudêre quos pridem labores,
Quos patriæ peperere ceræ,
Tuq; OSSOLINI non vacuas habes
Magni secures stemmatis. At Tibi
Pulchras Scientiæ coronas,
Et meritam parat ipse laurum
VAXMANE Phœbus: qui proprio in sinu
Te fouit olim: Nunc lituis sonat
Tubisq; Plausus, & Polono
Grande vehens super orbe nomen
Vbiq; monstrat. BRVDZINIO polus
Laudat decoræ regna modestiæ
Mentisq; candorem. IOANNEM
MARKIEVIVM negat eruditæ
Quicunq; pullum Palladis, inuidet
Omnino palmam; Roma Virum probum

Agno-

Agnouit, & non passa doctam
Vlteriùs perimi senectam.
MAGNVSCIVM tam Cracus amænior,
Quàm Gnesna nouit, cûi sapientia
Rerumq; prudens vsus, arctè
In socium coiere nexum.
Et SZCZVKA dignum nomen, in æthera,
Vel si quid vltra est, Fama quod impigris
Vocalis euehat quadrigis,
Et resono canat ære curam
Zelumq; Cleri; vel pietas quia
Hîc pulchra mansit, vel quia Comitas,
Candorq;, Puritasq; mentis
Hîc placidam posuere sedem.
Palmare signum nec ZEBRIDOVII
Fortuna temnit, postquam ibi militat
Formosa virtus, & ligantur
Innumeræ sinè fine dotes.
Regni Tribunal PIENCOVIVM bene
Te nouit ANDREAM, & Themis integra
Seruata quòd Tibi virago,
Fama tua est. NICOLAE FIERLEI
Dignam Leonum te sobolem probas,
Illisq; dignam, quêis aquilas suas
Commisit olim Gnesna, summi
Quêis toties patuere fasces.
STARCZEVI in ipso pondere grandium
Stas actionum. PETRVS in æmulos
Illustris it IORDAN decores,
Nec vacuo fluit amne laudum.
Nec Fratre Frater tu minor altero
STANSLAE CIENSCI: Te quoq; Lilia
Gnesnensis exornant Cathedræ,
Vlteriorq; parat decoros
Fortuna fasces. LVBIENIVM sacra
(Non vana scribo, credite Sarmatæ)
Et rostra nórunt, & disertam
Orbis amat celebratq; suadam.

Nec

Nec IANVSEVI te fugit Infula
Vrbisq; notus circulus, impigræ
Nam sæpe confluunt tiaræ,
Dum meritam reperêre mentem.
Fert alta pennis Fama ZŁOWODZCIVM
Profert & orbi. Grandem, eques eleuat
Manum paternus CZARTORYSCI
Et Lehico super orbe, quis sis,
Clamat: Ducalis sanguis vt inclytos
Ornauit ortus. Irruit in tuum
Auita STANISLAE SZEMBEK
Nobilitas pietasq; pectus.
Et hoc theatrum est nobile; sanguine
Auisq; magnum viuere, viuere
Virtute maiorem: Paternos
Magnificant decora ista fasces.
In MARTIALI nomine Martio
Pallas triumphat docta ZALESCII:
Et Tu ZABOKLICCI TOBIA
Pro socio RAPHAELE pulchros
Mores, amicos in comites habes.
Vt & KOMECCI non vacuum geris
Nomen IOANNIS, Gratiarum
Quod solidam patet esse scenam.
Tu KVRDVANOVI grandem operum Tibi
Desculpe molem: sic iubet indoles
Augusta. RVSZKOVI virentes
Necte tibi CASIMIRE lauros
Et necte palmas. porrigit obuiam
Fortuna dextram: fidus honor suos
Spondet fauores, & mitrati
Aduenient aliquando fasces.
At TARANOVI non WIELOPOLSCIO
Tantùm, sed Orbi digne per omnia
Placere, laudari, probari,
Ista meæ cape pensa Musæ:
Te quòd superstes Mater adhuc suum
Latona Phæbum, Te Tethys altera

Quod

Quòd spectat exultans Achillem,
Nec dubiis sua vota pascit
Iam spebus, at re. BALTASAROVII
Illustre nomen pridem Academicus
Testatur orbis, vita præsens
A tacitis procul arcet vmbris.
Quis verò grandem PETRI Aquilam videt
Sequiue tentat? Non humili ó PETRE
Incedis ORŁOVI cothurno.
Ipsæ aquilæ celerante cursu
Sublimè portant, & MAŁACHOVIVS
Sat testis ingens, magnificæ suum
Virtuti vbi præstat fauorem,
Nec vacuos patitur labores.
I WIELOPOLSCI, quò patriùs vocat
Caballus, & quò magnus agit Pater,
Quò KOMOROVII decores,
Quoue tuus iubet ire sanguis.
Tuo ZAŁVSCI Lechica nunc Themis
Vt gaudet Agno, sic validum timet
Respectus arietem: iuuenta
Łouicii bene nota nobis,
Et illa mentis pulchra capacitas.
Nunc aula scrutans perspicit indolem,
Placere quâ possis vel orbi,
Dum Lechicis LVDOVICE sceptris,
Tu verò FVRMANCOVI in eburneis
Vehende Famæ curribus inclytum
Attolle verticem, erudita
Mens viridem tibi dat coronam.
Ego ista Vates de medio loquor
Spectans Vauelo, cùm subitò induunt
Fata ipsa præscias Sybillas,
Hæcq; canunt meliore vobis
Addicta voto. o! maxima Craciæ
Decora Sedis, non sterilis vocat
Vos Fama PRÆLATI. Licebit
Emeritis subiisse cælum

Hono.

Honoris olim. Præſuleæ Mitræ,
Epiſcopales vos trabeæ manent,
Vos & ſigillarem poteſtis
Regni aliquando tenere gemmam.
Sic veſtra virtus, ſic probitas iubet,
Sic ipſa magni gloria ſanguinis,
Sic pompa natalis, ſuoq;
Sic ſuperi inſeruere libro.
Hucusq; dicunt Fata: ego præuidis
Applaudo Fatis. Moxq; remugiit
Sublimis æther, io! prata,
Ac teneri cecinere flores,
Et io! rupes. io! vel arbores
Dixere grandes. ad numeros io!
Syluæ iugoſæ, io! io! læti
Ad numeros ſaliere montes.

Errata ſic corrige

Pag. 65 lin: 9 nuba leg. *nuda*. ead pag: lin: 10 non leg. *bano* p. 74. l. 2 vota leg: *tota*. p. 77 l. 18 & leg *ex* p. 78 lin: 8 voluit leg: *valuit* p. 79 l. 13 nam leg. *tum*. p. 91 l. 8 ſubducere leg: *ſubduxere* p. 94 lin: 17 fremum leg: *frenum* p. 104 lin 20 vide leg. *videt* p. 108 lin: 27 penum leg: *penu* p. 109 lin: 10 ſtatiuo leg: *ſtatim* p. 101 lin: 12 pares leg: *parens* p. 112 l. 7 Præmyslaus leg. *Premyſlaus* p. eadem lin. 27 Megæra leg. *Medea* p. 113 lin: 1 Medea leg: *Megæra* p. 116 l. 22 populo leg: *pupulo* p. 133 l. 16 Białaczouius propter verſum leg. *Białacouius* p. 134 l. 18 agis leg: *ais* p. 137 l. 14 relinquentis leg. *delinquentis* p. 142 l. 21 corpus leg. *febris* p. 146 lin: 10 nobis leg: *nouis* p. ead. lin: 25 votis leg. *rotis* p. 147 lin: 8 ſapientiæ leg patientiæ p. 149 l. 9 primus leg. *primas* p. 150 l. 14 ſuſcipit leg: *ſuſpicit* p. ead: lin: 19 per leg. *pro* p. 152 l. 28 Dominis leg. *Domina* p. 156 lin: 8 nactus leg: *nacta* p. 166 l. 1 metum leg: *metam* p. 253 l. 24. Tyias leg: *Tyrias* p. 269 l. 25 beatitudinus leg. *beatitudinis* p. 325 l. 23 ſuſcepta lege *ſuſpecta* p. 329 lin: moleſtia leg: *moleſtâ.*

Bibl. Jag.